

2

43



S. THOMAS DE AQVINO angelicæ doctrinæ mirificus auctor.

PROPUGNATIO PHILOSOPHIÆ THOMISTICÆ



CONTRA


Cartesium, Gassendum, Cabeum, Maignanum, cæterosque recentioris Philosophiæ propagatores.

TOMUS SECUNDUS.

Qui primam Physicæ partem complectitur.

Authore R. P. JOSEPHO RIVALIER *Congregationis Doctrinæ Christianæ Theologo, nec-non Philosophiæ Professore in Collegio Squillano Tolosæ primario.*

Ex Libris [illegible] Romanæ [illegible] in Monticellis



TOLOSÆ,
Apud J. PECH, Comitiorum Fuxensium, Typographum, juxta Collegium PP. Societatis JESU, sub signo Nominis JESU. 1683.

Cum Permissione & Approbationibus.



INDEX TITULORUM.



QUÆSTIO II.



QUÆSTIO III.



QUÆSTIO IV.



QUÆSTIO V.



TRACTATUS II.



QUÆSTIO I.



QUÆSTIO II.

QUÆSTIO III.

QUÆITIO IV.

8

QUÆSTIO V.



TRACTATUS III.

QUÆSTIO I.

QUÆSTIO



QUÆSTIO II.



QUÆSTIO III.

é

QUÆSTIO IV.

QUÆSTIO V.

Finis Index Titulorum.



APPROBATIO.

NON potuit mihi non probari Physica, seu Philosophia naturalis R. P. J. Rivalier, nostræ Congregationis Doctrinæ Christianæ Theologi; & in hoc nostro Collegio Tolosano Professoris celeberrimi, ut pote, quæ est tota Angelica, tota Christiana. Partes tuetur Author Scolæ Thomisticæ, invictâ (si quis hactenus) animi fortitudine, nec ejus perspicuitati aliquid detrahit brevitas cōpendiosa. Hostes aggreditur quoscūque verioris Philosophiæ vincitque, ac penitus profligat novo sed glorioso certamine. Legi totum hoc Opus, suo Authore dignissimum, nihil mihi succurrit fidei Orrodoxę contrarium, aut bonis moribus adversum. Arrisere singula. Placuere universa, nihil eorum prætermissum quæ possint Philosophiæ studiosum perfectè instituere, quæve curioso lectori planè satisfacere. Dignùm igitur judicavi Opus, luce publica. Sic mecum sentient quicumque legent maximè novitatis osores, veritatis amici, atque utilitatis publicæ. Sic sentio. *Tolosæ, die 3. Martii ann. 1683.*

MILHET Doctor Theol. Congreg. Doctr. Christ.

APPROBATIONES.

PHilosophicum hoc Opus, cui titulus est, *Propugnatio Philosophiæ Thomisticæ, contra Cartesiū Gassendum, &c.* à R. P. J. Rivalier Philosophiæ Professore compositum perlegisse, & in eo nihil nos deprehendisse profitemur Catholicæ veritati, aut Christianæ pietati dissonum, omnibus, tum veteris, tum recentioris Philosophiæ amantissimis placiturum prævidemus, quia pari perspicuitate utriusque Philosophiæ opiniones exponit; dignum proinde illud Opus judicamus quod omnium manibus teratur, & in bonum publicum prælo mandetur. *Datum Tolosæ die* 8. *Aprilis anni*, 1683.

F. *JOSEPH. BRUNET*, *Professor Regius.*

F. *MATHÆUS DANROS*, *Doctor Regens Augustinianus.*

PERMISSIO.

V*Iso Professorum testimonio, concedimus, ut præsens Opus Philosophicum, cui Titulus est*, Propugnatio Philosophiæ Thomisticæ, *prælo mandetur.* Datum Tolosæ die 8. Aprilis. 1683. MARAN Vic. gen.

PHYSICA




PHYSICA SEU PHILOSOPHIA NATURALIS

Secundum illibatam S. Thomæ doctrinam.



A Difficilioribus ad faciliora progredimur; juvat nunc ab intricatissimis senticosæ Logicæ, & asperioris Metaphysicæ difficultatibus nos extricare, ut in vastissimum amœnum & frugiferum Physicæ campum descendamus; vastissimum dico campum cujus aditum vobis pando(Peripateticæ & Thomisticæ doctrinæ amantissimi) *cum tantùm pateat quantum & ipsa natura; de universa enim rerum natura disputat Physica: nec vos vastissimi campi amplitudo terreat, juvat certè per amplum & vastissimum campum spatiari, ubi amœnus, ubi frugifer campus est, quia siquid timoris, si quid horroris animis ingereret campi amplitudo, timorem pellit campi amœnitas, horrorem dissipat uberrima campi fœcunditas; quia ex ipsa campi amœnitate*

maxima nascitur voluptas, ex campi fœcunditate mirifica emanat utilitas, voluptas quidem maxima est secretiora totius naturæ secreta curiosè rimari ut enim *ait Tullius Acad. qq. lib.* 4. indagatio ipsa rerum tum maximarum, tum etiam occultissimarum habet oblectationem: *nec modò voluptatem innocentissimam habet naturæ contemplatio, habet & utilitatem insignem, cum ipsa rerum universitas sit quasi liber elegantissimus & mundissimum speculum in quo* invisibilia Dei intellecta conspiciuntur, *quo fructu nullus major esse potest aut optari.*



DISTRIBVTIO TOTIUS PHYSICÆ.



UM ens mobile, de quo agit Physica, poſſit conſiderari ſub quadruplici ſtatu; ideò tota phyſica dividetur in quatuor partes. In primâ agetur de ente mobili in communi. In ſecunda, de ente ſimplici. In tertia, de ente generabili; In quarta, de ente animato. Sed priùs præmittitur.



QUÆSTIO PROEMIALIS.

De Phyſica.

RECTUS ordo poſtulat ut ſecretiora Philoſophiæ naturalis arcana perſcrutaturi, prius cognoſcamus ipſius Phyſicæ naturam, qualitatem & objectum: ſit ergo.



ARTICULUS UNICUS.

De natura, qualitate, & objecto Physicæ.



Dicendum est primò, Physicam esse scientiam propriè dictam.

Probatur: In Physica fiunt plurimæ demonstrationes; demonstratur enim corpus naturale esse corruptibile, quia constat ex contrarijs; plurimaque alia demonstrantur, ut patebit in decursu totius Physicæ. Ergò Physica est scientia propriè dicta.

Dicendum est secundò Physicam esse simpliciter speculativam.

Probatur: Illa scientia est simpliciter speculativa, quæ non ordinat cognitionem ad opus: Atqui Physica non ordinat cognitionem ad opus; non enim cognitionem elementorum, aut cœlorum, aut aliarum rerum naturalium acquirit ut eas efficiat, sed ut simpliciter in earum contemplatione quiescat, & si quis eo fine naturam auri contempletur, ut illud efficiat, sicut Alchymistæ, finis est scientis, non verò scientiæ; & eodem modò de similibus est philosophandum; Ergò Physica est simpliciter speculativa.

Dicendum est tertiò: ens mobile esse objectum formale, & adæquatum Physicæ.

Probatur: illud est objectum formale alicujus scientiæ quod per se primò consideratur, & de quo demonstrantur passiones: Atqui mobi-

litas entis est hujusmodi respectu Physicæ; Ergò mobilitas seu ens radicaliter mobile est objectum formale, & adæquatum Physicæ. Major est evidens, minor etiam patet: Quidquid enim per se consideratur à Physica, vel est ens mobile in communi, id est abstrahendo ab omni determinata specie motûs, ut in primâ parte Physicæ; vel est mobile aliquod particulare, ut in parte in qua agitur de cœlo, & mundo; Ergò ens mobile est objectum formale & adæquatum Physicæ. Verum quidem est quod ens naturale, substantia naturalis, corpus mobile seu naturale idem significant, quia gradus subalternatim positi, pro eodem omninò sumuntur, si per eandem differentiam essentialem contrahantur. Unde substantia rationalis, vivens rationale, & animal rationale idem omninò significant, scilicet hominem. Ens autem, substantia, corpus sunt gradus subalternatim positi, & contrahũtur per eandem differentiam essentialem, scilicet per ly naturale, aut mobile radicale; Ergò, in præsenti idem omninò sunt. Convenientius tamen dicitur ens mobile esse obeꝺum Physicæ; quia omnia mobilia Physica comprehenduntur sub ente mobili: omne enim quod movetur potest non esse corpus, ut anima rationalis: potest etiam non esse substantia, ut accidentia; Sed quidquid movetur est ens.



PRIMA PARS PHYSICÆ, SEU PHILOSOPHIÆ NATURALIS.

De ente mobili in communi.



ISTA prima Physicæ pars, apud Aristotelem inscribitur, περὶ τῆς φυσικῆς ἀκροάσεως, id est *de Physico seu naturali auditu vel auscultatione*, quia indigent acri studio & attentione; ut enim notat Cicero quinto de finibus; & docent plurimi Philosophi. Duo genera librorum conscripsit Aristoteles. Unum eorum quos populares vocavit, quod ad vulgi captum accommodati, non magnam requirerent attentionem, cujusmodi erant historia animalium, & ii, quos de arte Rhetoricâ & poëticâ scripsit. Aliud genus librorum scripsit qui sine magno studio capi non possunt, & hos *auscultatorios* vocabat, quia magnâ attentione audiri deberent; hujus autem generis sunt quos de naturali Philosophiâ & Metaphysicâ scripsit; ista verò prima Philosophiæ naturalis pars, quæ in octo libros

ab Arist. dividitur, tota brevitatis gratiâ reducetur in tres tractatus; in quorũ primo, agetur de principiis entis mobilis in communi; In secundo, de causis; In tertio, de proprietatibus.



TRACTATUS I.

De principiis entis mobilis.

ISTE Tractatus quinque complectetur quæstiones. In primâ, agetur de principiis entis mobilis in communi; In secundâ, de materiâ prima; In tertiâ, de formâ & privatione; In quarta, de composito substantiali; In quintâ & ultimâ de naturâ, arte, & violento.



QUÆSTIO PRIMA,

De principiis entis mobilis.

QUAM varia fuerunt antiquorum Philosophorum placita circa rerum naturalium principia, videre est apud Plutarchum, primo de placitis, capite tertio. Apud Augustinum, octavo de civitate, & apud Ambrosium, primo Hexameron, capite secundo. Nec omnia tamen ab antiquis Philosophis exhausta fuerunt. Novas adhuc hypotheses excogitaverunt recentiores Philosophi. Plurimæ ergò antiquorum, & recentiorum opiniones cir-

ca rerum principia, excutientur in novem hujus quæstionis articulis.



ARTICULUS I.

De Principiorum definitione, tradita ab Aristot.

DIcendum est, principia entis definiri ab Aristotele *lib. 1. cap. 7. textu 42. illa quæ neque ex alijs, neque ex alterutris, sed ex ipsis omnia naturalia fiunt.*

Prob. prima principia, de quibus agimus, non possunt fieri ex aliis; quia non essent prima principia, ut patet; non possunt etiam fieri ex alterutris, quia unum præsupponeretur ad aliud, & sic non essent prima principia; ergò principia entis mobilis rectè definiuntur ab Aristotele, illa, quæ neque ex alijs, neque ex alterutris fiunt.

Obj. illa definitio tradita ab Aristotele non convenit materiæ, & formæ, quæ sunt principia, ergò illa principia non rectè definiuntur. Prob. Ant. forma fit ex materia, quia forma educitur de potentia materiæ, ut probabitur: materia etiã fit ex forma; ergò definitio tradita ab Aristotele non convenit materiæ & formæ.

Respondeo 1. Negat. Ant. ad cujus prob. nego aliud Ant. quia forma propriè & simpliciter non fit; illud enim tantùm simpliciter potest fieri, quod habet esse, quia fieri sequitur, atqui forma non habet simpliciter esse, sed tantùm forma est illud, quo mediante compositum habet esse, ergò forma propriè non fit.

.esp. 2. dist. idem Ant. forma fit ex materia in diverso genere causæ. Con. in eodem genere causæ, neg. quia quando Aristoteles docet quòd unum principium non potest fieri ex alio, intelligit in eodem genere, & ita nullum est inconveniens, quod forma fiat à materia, & materia fiat à forma in diverso genere.



ARTICULUS II.

Vtrum prima principia sint contraria.

NOtandum est 1. quod licet diversa rerum principia admiserint Philosophi in diversas sententias distracti, Fatentur omnes quod inter principia debet esse contrarietas aliqua, ideoque qui diversa statuerunt principia, alij dixerunt esse amorem & litem; alij plenum & vacuum, frigus verò & calorem nonnulli.

Notandum est 2. hîc non agi de contrarietate propriè dicta, quæ tantùm reperitur inter qualitates, nequaquam verò inter principia, quæ non sunt qualitates, ut probabitur.

Dicendum est materiam & formam non esse contraria inter se, benè autem formam & privationem.

Probatur conclusio quoad primam partem: illa sunt contraria quæ se mutuò expellunt ab eodem; atqui materia non expellit formam, cum illam appetat ut ab ipsa perficiatur; Ergo materia & forma non sunt inter se contraria.

Probatur conclusio quoad 2. partem. Illa

sunt contraria quæ non possunt se compati; atqui forma & privatio non possunt se compati ut patet; ergo sunt contraria inter se; & proinde illæ duæ propositiones quas profert Aristoteles cap. 7. sunt veræ, principia sunt contraria, principia non sunt contraria: hoc est aliqua principia sunt contraria, aliqua principia non sunt contraria.



ARTICULUS III.

De Principiis entis mobilis in fieri secundum sententiam Aristotelis.

Notandum est quod ens mobile potest considerari duplici modo, scilicet in fieri, & in facto esse. Ens mobile consideratur in fieri quando consideratur in instanti suæ productionis, sive quando actu producitur: consideratur vero in facto esse, quando consideratur ut est actu productum, hîc tantum disputatur de principiis entis mobilis in fieri & quæritur quot sunt principia quæ concurrunt ad productionem entis mobilis quando actu producitur.

Dicendum est cum Peripateticis, tria tantum esse principia entis mobilis in fieri, scilicet materiam, formam, & privationem.

Prob. Tot dantur principia entis mobilis in fieri quot requiruntur essentialiter ad generationem cujuslibet entis mobilis; atqui tria tantum essentialiter requiruntur ad generationem cujuslibet entis mobilis; ergò dantur tantum

›rincipia entis mobilis in fieri. Prob. min.
eratio eſt tranſitus de non eſſe ſubſtantia-
tqui ad quemlibet tranſitum tria tantum
tialiter requiruntur, ſcilicet privatio tan-
n terminus à quo, materia tanquam ſub-
ım in quo fiat talis tranſitus, & forma tan-
n terminus ad quem, ergo ad quamlibet
:rationem cujuſlibet entis mobilis tria
ùm eſſentialiter requiruntur.
bj. 1. generatio dependet à cauſa efficien-
ergo cauſa efficiens eſt principium gene-
›nis, & proinde dantur plus quàm tria prin-
a.
eſp. diſt. Ant. generatio dependet à cauſa
iente tanquam à principio extrinſeco con.
|uam à principio intrinſeco nego: quia il-
eſt tantùm principium intrinſecum gene-
ɔnis, à quo generatio eſſentialiter depen-
; ſed generatio non dependet eſſentialiter
uſa efficiente, ſiquidem dependet tantùm
bus ſcilicet materiâ, formâ & privatione,
› cauſa efficiens non eſt principium intrin-
ım generationis.
ıſtabis: Atqui generatio dependet eſſentia-
: à cauſâ efficiente, ergo cauſa efficiens eſt
ıcipium intrinſecum generationis.
ɩeſp. diſt. ſubſ. generatio ut eſt actio, de-
det eſſentialiter à causâ efficiente con. ge-
atio ut eſt mutatio dependet eſſentialiter à
ısâ efficiente nego. Quia generatio poteſt
ſiderari duplici modo, vel ut eſt actio per
ım cauſa efficiens ſive generans conſtitui-
actu agens, vel ut eſt mutatio ſive tranſi-
de non eſſe ſubſtantiali ad eſſe ſubſtantiale.
1. modò conſideretur verum quidem eſt

quod generatio dependet essentialiter à causâ efficiente, quia non potest concipi actio sine causa: Si verò consideretur secundo modo, generatio non dependet essentialiter à causâ efficiente.

Instabis iterum: atqui generatio ut est mutatio, dependet essentialiter à causâ efficiente, ergo nulla solutio. Prob. subs. generatio ut est mutatio, dependet essentialiter à materiâ, formâ, & privatione; ergo dependet etiam essentialiter à causâ efficiente. Prob. Cons. ideo generatio ut est mutatio dependet essentialiter à materiâ, formâ, & privatione, quia sine illis mutatio non potest fieri, atqui mutatio etiam non potest fieri sine causâ efficiente, sive mutante; ergo si generatio ut est mutatio dependet essentialiter à materiâ, formâ, & privatione, dependet etiam essentialiter à causa efficiente.

Resp. neg. sub. & conseq. & ad prob. neg. maj. quia generatio non dependet essentialiter à materiâ, formâ, & privatione, ex eo præcisè quod generatio non potest fieri sine illis; sed quia materia, forma, & privatio ingrediuntur definitionẽ essentialem generationis, & proinde licet generatio ut est mutatio non possit fieri sine causâ efficiente sive mutante, non inde sequitur quod generatio dependeat essentialiter à causâ efficiente: siquidem causa efficiens non ingreditur definitionem essentialem generationis.

Obj. 2. Dispositiones præviæ sunt principium generationis, ergò dantur plusquàm tria principia. Prob. Ant. Illud est principium generationis, sine quo generatio non potest fieri,

neque

:que divinitùs, neque naturaliter: atqui sine
spositionibus prævijs generatio non potest
:ri, nec naturaliter, nec divinitùs; ergò
spositiones præviæ sunt principium genera-
)nis.

Resp. 1. neg. Ant. ad cujus prob. neg. maj.
ıia licet generatio nec naturaliter nec divi-
tùs posset fieri sine dispositionibus prævijs,
)n tamen constituerent principium distin-
um à materia: cùm enim pertineant ad ma-
riam quam disponunt, & præparant ad re-
piendam formam, facerent unicum princi-
um cum ipsâ materiâ.

Resp. 2. neg. Ant. ad cujus prob. Concessâ
.ajori, Nego min. quia generatio potest fie-
divinitùs sine dispositionibus prævijs: & ita
spositiones præviæ sunt necessariæ necessita-
secũdum quid, nõ verò necessitate absolutâ.

Obj. 3. ratio quæ probat privationem esse
incipium generationis, probat etiam for-
am corrumpendam esse principium genera-
onis; ergò forma corrumpenda est princi-
um generationis, & proindè dantur plus-
ıàm tria principia. prob. ant. ideò priva-
o est principium generationis, quia genera-
o dependet à privatione tanquàm à termino
quo; atqui generatio dependet etiam à for-
a corrumpenda, tanquàm à termino à quo:
:quiritur enim ut præcedat forma determi-
ıta, ad hoc ut fiat talis generatio: v. g. ut
'oducatur forma cadaveris, debet necessariò
·æcedere forma viventis; ergò ratio quæ
:obat privationem esse principium, probat
:iam formam corrumpendam esseprincipium.

Resp. neg. Ant. ad cujus prob. dist. maj. ge-

neratio dependet à privatione, tanquàm à termino à quo per se. Con. per accidens, neg. similiter distinguenda est minor propositio vice versâ; atquî generatio dependet à formâ corrumpendâ, tanquàm à termino à quo per accidens, con. per se nego: quia in hoc conveniunt forma corrumpenda, & privatio, quòd ab utroque generatio dependeat, tanquàm à termino à quo; sed in hoc differunt, quòd generatio dependet per se & essentialiter à privatione: quia non potest concipi generatio alicujus formæ, quin mox concipiatur privatio ejusdem formæ, sed generatio dependet tantùm per accidens à forma corrumpenda; quia illud provenit, non ex parte generationis, sed ex parte materiæ, quæ non potest esse sine aliqua forma.

Obj. 4. Forma non est prior generatione; ergò non est principium generationis, & proinde non dantur tria principia.

Resp. dist. Ant. forma non est prior generatione, in ordine executionis con. in ordine intentionis nego; quia forma primariò intenditur à generatione.

Obj. 5. Principia ex Aristotele lib. 1. Phys. cap. 7. textu 56. debent semper manere: atqui privatio non semper manet; ergò privatio non est principium, & proinde non dantur tria principia.

Resp. dist. maj. principia positiva, Con. Principia privativa, nego: vel principia in facto esse debent semper manere C. principia in fieri debent semper manere N. quia illud discrimen intercedit inter principia in facto esse & in fieri, quod principia in facto esse

ıæ constituunt rem, debent remanere, quanù res ipsa remanet; sed principia in fieri ıæ concurrunt tantùm ad rei productionem, ı ipso instanti productionis, possunt non esse ıando res illa est actu producta.

Obj. ultimò. Ex Aristotele lib. 1, Phys. cap. . textu *66*. privatio est principium per accicns, ergò generatio non dependet essentiali-ːr à privatione.

Resp. dist. authoritatem Aristotelis, privatio ſt principium per accidens respectu rei genitæ on. respectu generationis nego, his autem erbis vult tantùm docere Aristoteles, quod rivatio non est principium in facto esse.

Instabis. atqui privatio non potest esse prinipium per se generationis, ergò nulla responıo. Prob. subs. non ens non potest esse per se rincipium generationis, atqui privatio est ıon ens, ergo &c.

Resp. neg. subs. ad cujus prob. dist. Maj. non ns non potest esse principiũ generationis per nodũ partis constituentis, C. per modũ termi-i, à quo, N. Potest etiam distingui minor proositio: privatio est non ens positivum C. ptiativum nego. Ratio primæ distinctionis est, uia licet privatio non sit pars compositi, quod roducitur; requiritur tamen essentialiter tanıam terminus à quo: Ratio secundæ distintionis est, quod privatio est aliquid reale, hoc ſt, existens nullo intellectu cogitante; non est ımen aliquid positivum, sed tantùm ens reale rivativum.

Instabis iterùm: privatio non est in instanti enerationis, alioquin materia in eodem inanti esset sub forma & sub privatione formæ:

Ergò privatio non potest esse principium.

Resp. dist. Ant. in instanti generationis privatio non est ut afficiens subjectumC.ut desinens esse in subjecto Nego : quia , ut benè ait Joannes à sancto Thoma, in instanti generationis privatio nòn est, ut afficiens subjectum, sed ut exclusa ab illa per formam quæ introducitur, sicut terminus à quo non est cum ipso termino ad quem in eodem instanti, quasi afficiendo subjectum, sed ut exclusus per terminum ad quem.



ARTICULUS IV.

De Principijs entis mobilis secundùm Cartesium.

NOtandum est 1. quòd juxta novam Cartesij doctrinam , omnia entia naturalia fiunt ex solis particulis materiæ subtilis, globulosæ,& striatæ. Illas autem materiæ particulas vocare solet particulas quantitatis; eo quod velit quod materia sive substantia materialis , & corpus sint unum & idem ; docet similiter corpus & extensionem esse unum & idem ; ita ut essentia corporis sita sit in extensione. Sed illa Cartesij opinio alio in loco refutabitur ; ut autem nunc meliùs intelligatur ejus doctrina,circa principia rerum naturaliũ.

Notandum est secundò , quod secundùm Cartesium,Deus initio creavit materiam omnium rerum , & posteà illam divisit in partes angulares & quadratas; ita ut ijs deindè partibus Deus communicaverit motum; dum au-

tem movêrentur hæ partes, factum est ut impingerent & colliderentur invicem; ita ut paulatim imminutæ fuerint, hoc est abrasis angulis sphericæ factæ sint, & ex illis partibus rotundis facta fuit materia globulosa. Fragmenta autem quæ deciderant ex partibus jam globulosis replebant spatia interjecta inter partes illas globulosas, nequid vacui relinqueretur. Illa quidem fragmenta erant subtilissima; non tamen omnes fragmentorum particulæ erant ejusdem parvitatis & subtilitatis: aliæ erant subtilissimæ & maximè ad motum idoneæ, & ex illis partibus subtilissimis facta fuit materia subtilis: aliæ erant particulæ crassiores, quarum partes irregulares erant, & parùm ad motum efficaæ, & ex illis particulis crassioribus facta fuit materia striata. Ex his omnibus conjicit Cartesius dari tria principia sive tria elementa rerum naturalium. Primum elementum constat ex illis partibus subtilioribus, quæ per motum & attritionem abrasæ fuerunt & deciderunt ex partibus quadratis, & dicitur materia subtilis. Secundum elementum constat ex illis partibus sphericis, & dicitur materia globulosa. Tertium elementum constat ex partibus quadratis, & illud elementum vocatur materia striata, hoc est habens figuras irregulares.

Notandum est tertiò, quod Cartesius docet omnia componi ex illo triplici elemento; idque, ut faciliùs probet, docet omnia corpora dividi in tres classes. Quædam sunt corpora lucem emittentia, hoc est, lucida, cujusmodi sunt sol & stellæ fixæ, & illa corpora somniat fieri ex primo elemento, nempe ma-

teriâ subtili. Aliqua sunt transmittentia lucem, sive diaphana, ut cœli, & illa corpora conficiuntur ex secundo elemento hoc est materia globulosa. Alia denique sunt corpora lucem remittentia, hoc est opaca, ut terra, planetæ, cometæ, & conficiuntur ex tertio elemento, hoc est à materia striata. Et hæc cum tam bellè finxerit Cartesius, non tamen censet, quod unum corpus ex unico tantùm elemento fiat: Vult enim tria simul elementa ad cujuslibet corporis constructionem concurrere: Sed vult ut unum corpus dicatur fieri ex uno elemento: v. g. Sol dicitur fieri ex primo elemento seu materiâ subtili; quia in sole potissimùm regnat & prævalet materia subtilis, similiter & de alijs corporibus.

Notandum est 4. quod Cartesius proponit tria illa principia, ut hypothesim tantùm; non enim dicit quod entia naturalia ex hujusmodi principijs orta fuerint, sed tantùm quòd oriri potuerint, Sic enim loquitur Cartesius 3. parte principiorum num. 44. *Verumtamen ne etiam nimis arrogantes videamur, si de tantis rebus philosophando, genuinam earum veritatem à nobis inventam esse affirmemus; malim hoc in medio relinquere, atque omnia quæ deinceps sum scripturus, tanquàm hypothesim proponere; quæ quamvis falsa esse existimetur, satis magnum operæ pretium me fecisse arbitrabor, si omnia quæ ex ipsa deducentur cum experimentis consentiant*: & num. sequenti ait. *Si quæ principia possimus excogitare valdè simplicia, & cognitu facilia ex quibus tanquàm ex seminibus quibusdam, & sydera & terram, & denique omnia quæ in hoc mūdo aspectabili deprehendimus, oriri potuisse de-*

monstremus. quamvis ipsa nunquam sic orta probè sciamus. His ita prælibatis ad intelligentiam.

Dicendum est hypothesim Cartesij esse impossibilem; ita ut entia naturalia ex hujusmodi principijs oriri non potuerint.

Prob. hypothesis Cartesij supponit aliquid impossibile, ergò est impossibilis prob. ant. supponit quod communis universi materia à Deo creata, & in partes quadratas divisa, maximâ pernicitate mota fuerit, ita ut ex motu materiæ, quàm maximè agitatæ, tria prodierint elementa; atqui impossibile est, quòd communis universi materia mota fuerit, ergo hypothesis Cartesii supponit aliquid impossibile prob. min. illa materia non poterat moveri, nisi partes materiæ unitæ inter se, & contiguæ à se invicem distraherentur & separarentur: atqui impossibile erat quòd partes illæ à se invicem separarentur, si enim aliquæ tantillum obvertissent suos angulos contrà latera vicinarum, mox inter illas partes à se invicem separatas, fuissent rimæ, & hiatus aliqui quos nulla potuisset replere substantia, & proinde fuisset vacuum, quòd divinitùs etiam est impossibile, secundùm Cartesium: ergò impossibile est, quòd communis universi materia mota fuerit.

Respondent Cartesiani quòd illud spatium fuit repletum particulis primi elementi sive materiâ subtili.

Sed contra: concipitur illud spatium, antequàm sit materia subtilis; ergò illud spatium non potuit repleri à materia subtili. Prob. Ant. concipitur illud spatium, ubi concipitur partes materiæ à se invicem separari; atqui ubi con-

cipitur partes materiæ à se invicem separari, nondum concipitur esse materiã subtilem; ergo concipitur illud spatium, antequàm sit materia subtilis, prob. min. non concipitur materia subtilis, nisi quando partium anguli atteruntur: siquidem in opinione Cartesij ipsa materia subtilis procedit ex ipso angulorum attritu: atqui ubi partes materiæ à se invicem separantur, nondùm concipitur partium angulos atteri; quia anguli non atteruntur, nisi quia partes à se invicem separantur, & unæ suos obvertunt angulos contra aliarum latera. Prius est ergò partes separari, quàm partes atteri, & proinde prius est partes separari, quàm esse materiam subtilem; ergo ubi concipitur partes à se invicem separari, nondùm concipitur esse materiam subtilem, & consequenter concipitur spatium vacuum corpore, antequam sit materia subtilis.

Obj. 1. omnia quæ ex Cartesianâ hypothesi deducuntur, experimentis consentiunt; ergo Cartesiana hypothesis est admittenda.

Resp. gratis concesso antecedente, Nego Conseq. cum nostro P. Vincentio, quia ut solidè ait 3. parte suæ discussionis peripateticæ. 139. num. 47. contra principia Philosophiæ Cartesianæ, licet cum experimentis consentiret Cartesij hypothesis, non ideò vera censeri deberet; quia idem specie effectus potest à pluribus diversis oriri causis, & consequenter per quamcumque earum explicari, licet de facto ab una solùm procedat; illudque probat efficaciter idem Doctor, eâdem parte num. 50. ex diversis Ptolemæi, Tychonis, & Copernici hypothesibus, circa corporum cœle-

ſtium, terræque diſpoſitionem. Ptolemæus enim & Tycho terram immobilem ponunt. Copernicus verò vult eam, ut verùm Planetam moveri circa ſolem; & dicunt omnes omnibus Phœnomenis hujuſmodi ſyſthemata apprimè reſpondere. certum tamen eſt errare aliquem, falſamque eſſe unam hypotheſim; alioquin duæ opiniones contradictoriæ eſſent veræ, ſcilicet terra movetur (ut docet Copernicus) terra non movetur (ut docet Ptolomæus.)

Obj. 2. & ultimò. Omnia naturæ Phœnomena faciliùs explicantur per principia Carteſij, quàm per alia quæcumque principia: ergò illa principia ſunt admittenda.

Reſp. 1. Neg. Ant. quia plurimæ ſunt operationes in brutis quæ non poſſunt explicari per principia Carteſij, ut fusè alio in loco probabitur.

Reſp. 2. Con. Ant. Neg. Conſeq. quia ut admittantur aliqua principia, non ſolùm ſufficit, ut per illa faciliùs naturæ Phœnomena explicentur, ſed debent etiam veriùs & ſolidiùs explicari: ſæpè enim homines imperiti & rudes faciliùs intelligunt, quæ explicantur per ſimilitudines & fabulas, quàm quæ explicantur per vera ſcientiarum principia. Non tamen ex his eſt inferendum fabulas eſſe vera & ſolida ſcientiarum principia, & ita licet faciliùs explicarentur omnia naturæ phœnomena per principia Carteſij, tamen ex his inferendum non eſt illa principia eſſe admittenda ut vera.





ARTILULUS V.

De principijs entis mobilis secundum Gassendum.

NOTANDUM est 1. quòd Democritus, & Epicurus post illum duo omnium rerum principia admisit, plenum scilicet & vacuum; hoc est atomos,& inane. Per atomos autem intelligebat aliqua corpuscula longa, lata, & profunda, sed tamen indivisibilia, quibus corpusculis dicebat immensum inane fuisse repletum, & eorum concursu hunc mundum coaluisse, fierique omnia, quæ jam producuntur,concreta corpora. Utriusque Philosophiam jam sepultam, & planè exoletam excitavit Gassendus isto sæculo., & à plurimis erroribus eam expurgavit: Volebant enim illi antiqui Philosophi atomos esse æternas, increatas, & omninò à Deo independentes. Volebant insuper fortuito atomorum occursu, nullâ moderante naturâ omnia facta fuisse; & hæc cum explodat Gassendus, docet dumtaxat quòd Deus sit atomorum causa efficiens, & quòd motus atomorum sit ipsis ab Autore mundi impressus.

Notandum est 2. quòd Democritus, Epicurus, & Gassendus faciunt omnes atomos ejusdem naturæ & essentiæ, illisque attribuunt tres proprietates, nempe magnitudinem, figuram, & pondus sive principium motus: docent prætereà omnes, motum localem convenire atomis, cum aliquo tamen discrimine. Democritus enim primus atomorum inventor

volebat, ut motu tantùm perpendiculari moverentur, sed Epicurus addidit alium motum, quem vocat motum inclinationis; vult enim nonnullas atomos moveri perpendiculariter, quasdam obliquè seu inclinativè, alioquin atomi ad corporum constructionem concurrere non possent. Gassendus verò rejicit motum perpendicularem Democriti. Rejicit etiam motum inclinationis Epicuri; vult tantùm ut sint in quodam assiduo & inamissibili motu per virtutem aliquam quam receperunt à Deo. *Si quis*, inquit in sua Epicuri Physiologia cap. de motu atomorum, pagina 219. *tueri fortè eas*, nempe atomos *velit*: *rejicienda inprimis est, tanquàm omninò commentitia; tum gravitas illa sic ipsis tributa, ut seposito omni centro, & distinctis tamen in ipso universo duabus illis sursùm deorsùmque regionibus, ferantur per se dumtaxat deorsum & absque omni quidem tam loci, quàm temporis seu principio seu termino; tum declinatio quoque illa à motu perpendiculari quàm dictum est à Cicerone solidè, meritòque perstringi. Deinde verò, tum quod sint in quodam assiduo incessantèque seu motu, seu nisu, ac variè sibi occursantes possint sese aut invicem apprehendere, mutuòq; implicari, aut invicem deflectere ac sursum deorsum, obliquè, & quoquo versum repulsare, tum quod cōtineant in se vim, qua indesinentem hunc motum tueantur, ac illam quidem à Deo authore, cum eas creavit, sic inditam, ut esset à prinicipio mundi in finem usque perduratura. Videlicet hæc satis sunt ut causæ rerum perinde, ac solent ab Epicuro dici, explicentur, & citra quidem illa commenta, quæ fuere ab ipso perperàm conficta.*

Notandum est 3. quod, juxta illos Philosophos, atomi, & inane non sunt eodem modo principia, atomi sunt principia, quatenùs componunt ipsas res. Inane autem, quatenùs locum, & discriminationem ministrat; sive quatenùs separat corpora à corporibus. Alio in loco de inani, sive vacuo agetur, hîc tantum de atomis.

Notandum est 4. Gassendum tria docere, quæ in isto articulo sunt rejicienda 1. dari atomos, sive corpuscula indivisibilia 2. quod illæ atomi habent tres proprietates, scilicet magnitudinem, figuram, & gravitatem. 3. Quod ex illis atomis omnia fiant. Probabitur 1. non posse dari illas atomos. 2. Quod etiam si darentur, non possent habere proprietates à Gassendo assignatas. 3. Quod etiam si haberent proprietates à Gassendo assignatas, non possent tamen esse principia rerum naturalium his ergò sic præmissis.

Dicendum est 1. non dari atomos quales somniat Democritus, & Gassendus post illum.

Prob. dari atomos, est dari corpuscula indivisibilia: atqui non possunt dari corpuscula indivisibilia; ergo non possunt dari atomi. prob. Min. omne corpus quantumvis minimum, est divisibile; ergo non possunt dari corpuscula indivisibilia. Prob. Ant. omne corpus; quamtumvis minimum, est extensum, & quantum; quia quantitas est proprietas corporis: sed quod est extensum, & quantum, est divisibile; ergo omne corpus, quantumvis minimum, est divisibile.

Respondet Bernerius, peritissimus Gassendi discipulus in suâ Philosophiâ tom. 1. p. 135.

Quod

Quod difficilè quidem concipitur, quomodo aliquid possit esse extensum, & simul indivisibile, & tamen asserit quod extensio, & indivisibilitas sociantur simul in atomis. Dicit autem quod atomi sunt indivisibiles propter suam soliditatem, quæ tanta est, ut si atomus una staret supra incudem nullo malleo ferreo, quamtumvis fortiter adacto frangi vel dividi posset. Oritur autem atomi soliditas eo quod hæc sit vacui vel inanis expers. Atomus ergo ex illo Philosopho, est indivisibilis, quia solida; est autem solida, quia in se nullum vacuum admittit.

SED hæc responsio plurima supponit quæ ab ipso Bernerio non probantur, nec probari possunt. 1. Supponit indivisibilitatem convenire atomis, quia sunt solidæ, sed certè soliditas non potest facere indivisibilitatem: siquidem ubi est soliditas, ibi sunt partes; ubi autem sunt partes, ibi est divisibilitas. 2. Supponit atomos esse solidas, quia in illis nullum est admixtum vacuum, quod in omnibus aliis corporibus admixtum esse putat. Illud tamen nusquam tota Philosophia Epicurea probavit, ut alio in loco fusè demonstrabitur, ubi agetur de vacuo.

Obj. omne, quod est extensum, non est divisibile; ergo licet atomi essent extensæ, non essent divisibiles. Prob. ant. animæ animalium perfectorum sunt extensæ; & tamen non sunt divisibiles; ergo omne quod est extensum, non est divisibile.

Respondeo negando antecedens. ad cujus prob. dist. ant. animæ animalium perfectorum sunt extensæ, virtualiter, con. formaliter,

Notandum est 3. quod, juxta illos Philosophos, atomi, & inane non sunt eodem modo principia, atomi sunt principia, quatenùs componunt ipsas res. Inane autem, quatenùs locum, & discriminationem ministrat; sive quatenùs separat corpora à corporibus. Alio in loco de inani, sive vacuo agetur, hîc tantum de atomis.

Notandum est 4. Gassendum tria docere, quæ in isto articulo sunt rejicienda 1. dari atomos, sive corpuscula indivisibilia 2. quod illæ atomi habent tres proprietates, scilicet magnitudinem, figuram, & gravitatem. 3. Quod ex illis atomis omnia fiant. Probabitur 1. non posse dari illas atomos. 2. Quod etiam si darentur, non possent habere proprietates à Gassendo assignatas. 3. Quod etiam si haberent proprietates à Gassendo assignatas, non possent tamen esse principia rerum naturalium his ergò sic præmissis.

Dicendum est 1. non dari atomos quales somniat Democritus, & Gassendus post illum.

Prob. dari atomos, est dari corpuscula indivisibilia: atqui non possunt dari corpuscula indivisibilia; ergo non possunt dari atomi. prob. Min. omne corpus quantumvis minimum, est divisibile; ergo non possunt dari corpuscula indivisibilia. Prob. Ant. omne corpus; quamtumvis minimum, est extensum, & quantum; quia quantitas est proprietas corporis: sed quod est extensum, & quantum, est divisibile; ergo omne corpus, quantumvis minimum, est divisibile.

Respondet Bernerius, peritissimus Gassendi discipulus in suâ Philosophiâ tom. 1. p. 135.

Quod

Quod difficilè quidem concipitur, quomodo aliquid possit esse extensum, & simul indivisibile, & tamen asserit quod extensio, & indivisibilitas socientur simul in atomis. Dicis autem quod atomi sunt indivisibiles propter suam soliditatem, quæ tanta est, ut si atomus una staret supra incudem nullo malleo ferreo, quamtumvis fortiter adacto frangi vel dividi posset. Oritur autem atomi soliditas eo quod hæc sit vacui vel inanis expers. Atomus ergo ex illo Philosopho, est indivisibilis, quia solida, est autem solida, quia in se nullum vacuum admittit.

SED hæc responsio plurima supponit quæ ab ipso Bernerio non probantur, nec probari possunt. 1. Supponit indivisibilitatem convenire atomis, quia sunt solidæ, sed certè soliditas non potest facere indivisibilitatem: siquidem ubi est soliditas, ibi sunt partes: ubi autem sunt partes, ibi est divisibilitas. 2. Supponit atomos esse solidas, quia in illis nullum est admixtum vacuum, quod in omnibus aliis corporibus admixtum esse putat. Illud tamen nusquam tota Philosophia Epicurea probavit, ut alio in loco fusè demonstrabitur, ubi agetur de vacuo.

Obj. omne, quod est extensum, non est divisibile; ergo licet atomi essent extensæ, non essent divisibiles. Prob. ant. animæ animalium perfectorum sunt extensæ, & tamen non sunt divisibiles; ergo omne quod est extensum, non est divisibile.

Respondeo negando antecedens. ad cujus prob. dis. ant. animæ animalium perfectorum sunt extensæ, virtualiter, con. formaliter,

nego; quia in hoc conveniunt atomi, & animæ animalium perfectorum, quod utrisque conveniat extensio; sed in hoc differunt, quòd atomi sunt formaliter extensæ, quia habent formaliter quantitatem, cùm sint corpora: sed animæ animalium perfectorum sunt tantùm virtualiter divisibiles, quia recipiuntur in subjecto extenso; & proinde ut fit proportio inter subjectum recipiens & formas receptas, illæ animæ debent esse virtualiter divisibiles.

Dicend. est 2. quod ex suppositione, quod darentur atomi non possent habere magnitudinē.

Prob. si atomi haberent magnitudinem essent divisibiles; atqui atomi non possunt esse divisibiles, secundum doctrinam Gassendi; ergo non possunt habere magnitudinem. Prob. sequela maj. quòd habet magnitudinem, superat aliquâ mole illud quod dicitur parvum, quia parvum & magnum relativè tantùm opponuntur: sed quod superat aliquâ mole illud quod dicitur parvum, est divisibile, quia illud quod superat aliud, debet habere partem quam aliud non habet, & illud quod habet partem est divisibile; ergò si atomi haberent magnitudinem, essent divisibiles.

Dicendum est 3. atomos non posse etiam habere diversas figuras.

Prob. 1. ratio quâ Gassendus probat atomos habere diversas figuras, nulla est; ergo atomi non habent diversas figuras. prob. ant. ideò ex ipso Gassendo in suâ Epicuri Physiologiâ cap. de figura atomorum pag. 203. *Atomi debent habere diversas figuras, quia omnes homines ejusdem inter se naturæ, sunt inter se diversæ*

figuræ, & numquam duo reperiuntur omninò similes: sicut nec duo grana tritici, nec duo ova: Atqui illa ratio nulla est, quia ex diversis figuris hominum & granorum, non possunt conjici diversæ atomorum figuræ: siquidem ex corporibus concretis & compositis, ut sunt homines, grana & ova, quæ diversas possunt habere figuras, non valet consequentia pro corporibus simplicissimis & indivisibilibus, ut sunt atomi, quæ nullius proinde sunt figuræ capaces; ergo ratio quâ Gassendus probat atomos diversas habere figuras, nulla est.

Prob. 2. contra Gassendum qui pag. 205. vult probare aliquo experimento atomos habere diversas figuras: *Si permiseris*, inquit, *aquam salsam ad Solem evaporare, relinquetur sal totum conformatum in figuras cubicas, id est quadratas: si aluminosum in octa hedricas, & ita de alijs salibus, ut engiscopio adhibito* sive tubo appropinquatorio *patebit*: Sed ex hoc experimẽto malè conjicit Gassendus, atomos diversas habere figuras: Siquidẽ duo in illo experimento docet. 1. quod omnia granâ salis habent eandem figuram nempè cubicam, quia sunt ejusdem naturæ. 2. quod grana salis, & aluminis habent diversas figuras, quia sunt diversæ naturæ; ex quibus poterat tantùm conjicere, quod omnes atomi sint ejusdem figuræ, cùm sint ejusdem naturæ: siquidem ideo, ex ipso Gassendo comprobatur, grana salis & aluminis esse diversæ figuræ, quia sunt diversæ naturæ; ergo cùm omnes atomi sint ejusdem naturæ, debent esse ejusdem figuræ: proinde dicendum, quod posito, quod atomi habeant aliquam finitam magnitudinem, necesse est

illas habere aliquam figuram. malè tamen conjicit Gassendus illas habere diversas figuras.

Dicendum est 4. Atomos non posse etiam habere gravitatem, sive principium motus.

Prob. atomi ex quibus compactæ sunt columnæ marmoreæ, semper essent in continuo motu, quia, juxtà Gassendum, atomi moventur per inane, antequam constituant corpora, & post ipsam corporum constitutionem non amittunt motum, quia possunt moveri propter vacuola quæ reperiuntur in omnibus corporibus: atqui falsum est, quod atomi ex quibus compactæ sunt columnæ marmoreæ, possint moveri; ergo falsum est quod atomi possint habere gravitatem, sive principium motus.

Respondet Gassendus, quod illæ habent motum internum insensibilem.

Sed contra: si illæ atomi haberent motum insensibilem, haberent etiam motum sensibilem; quia plurimi motus insensibiles possent facere unum motum sensibilem: sicuti plurimæ atomi insensibiles & indivisibiles faciunt unum corpus sensibile & divisibile; ergo atomi ex quibus compactæ sunt columnæ marmoreæ, non possunt etiam habere motum internum & insensibilem.

Dicendum est 5. & ultimò, quod posito etiam, quod darentur atomi, & haberent proprietates assignatas à Gassendo, non possunt tamen esse principia rerum naturalium.

Prob. principia rerum substantialium debent facere distinctionem substantialem, quia idem est principium distinctivum & constitutivum: atqui atomi non possunt facere distin-

ctionem substantialem; ergo non possunt esse principia constitutiva rerum substantialium. Prob. min. quæ differunt tantùm accidentaliter, non possunt facere distinctionem substantialem: atqui atomi differunt tantùm accidentaliter; ergo non possunt facere distinctionem substantialem. Prob. min. atomi, secundum atomistas, differunt tantùm secundum figuram, & motum: atqui differre secundum figurã & motum, est differre tantùm accidentaliter; ergo atomi differunt tantùm accidentaliter.



ARTICULUS VI.

De principijs entis mobilis secundum Chymicorum sententiam.

NOtandum est quod Chymici sive Alchimistæ, sic dicti à verbo græco χυω, fundo, vocantur illi artifices, qui dant operam chymiæ seu illi arti quæ tota est in fundendis, seu solvendis corporibus seu metallis, & illi docent omnia composita resolvi in tria, quæ vocant principia. Si enim aliquod compositum applicetur ad ignem, mox egreditur aliqua substantia subtilissima & limpidissima, quę quaque versum facillimè penetrat, & illa substantia dicitur *Mercurius.* Si fiat major ignis applicatio, erumpit quædam substantia viscosa quæ *sulphur* nominatur. Si vero redigatur mixtum in cineres, ex illis cineribus extrahitur substantia quædam

alba & sicca quæ nullam patitur corruptionem, & quæ à corruptione cætera præservat, & illa substantia dicitur *sal*: Quidquid autem extracto sale in cineribus remanet, dicitur *terra damnata & caput mortuum*; ut potè ad omnia inutile. Illa autem principia non sunt ejusdem rationis cum Mercurio, sulphure & sale, quæ in officinis mercatorum emuntur; licet cum illis habeant quandam affinitatem. Mercurius dat fluiditatem & colorem. sulphur calorem & odorem sal denique consistentiam, gravitatem, atque saporem. Præter illas substantias admittunt Chymici spiritum quendam omnia vivificantem, qui vocatur εντελεχία, *sive perfectio mundi.*

Dicendum est tria chymicorum principia non esse admittenda.

Prob. Mercurius, sal, & sulphur fiunt ex alijs, quia resolvuntur in alia: siquidem mediante ignis validioris calore, Mercurius resolvitur in aërem; sal in aquam, & sulphur in flammam; ergo Mercurius, sal & sulphur non possunt esse principia. Præterea, ex ipsis chymicis, essent plura quàm tria principia, quia omnia non tantùm resolvuntur in Mercurium, sulphur, & sal, sed etiam in terram damnatam & caput mortuum, quod licet sit inutile quoad usus nostros, est tamen utile quoad naturam.



ARTICULUS VII.

De principijs entis mobilis secundum sententiam Elementariorum.

NOtandum est quod Elementariorum non una & eadem est sententia: alij enim volunt unicum esse principium: alij verò plura esse existimant. Inter ipsos, qui unum tantum principium constituunt, censetur omnium Princeps, Thales Milesius qui, teste Aristotele 1. Metaph. cap. 3. pro rerum omnium principio ponit aquam: aërem verò pro principio constituunt, Anaximenes, Diogenes & Archelaüs Atheniensis: terram vero Hesiodus: ignem Heraclitus. qui plura admittunt principia; alii solum tria Elementa omittendo terram; alij vero quatuor elementa ad rerum omnium productionem concurrere putant, inter quos præcipuè Empedocles.

Dicendum est neque unum aliquod elementum, neque plura esse principia entis mobilis.

Probatur conclusio quoad 1. partem, quod scilicet unum aliquod elementum non potest esse principium, quia nulla esset distinctio substantialis inter omnes res naturales per unum & idem elementum substantialiter constitutas: tum etiam, quia entia naturalia sunt composita; ergo debent oriri & componi è plurimis principijs, quia compositio est multorum simul positio.

Prob. quoad secundam partem, quod scilicet plura elementa non possunt esse principia; quia illa non possunt esse principia, quæ fiunt ex alijs, ut patet ex definitione principiorum: atqui omnia elementa fiunt ex alijs, quodlibet enim elementum fit ex materiâ & formâ, cùm sit compositum sensibile; ergò plura elementa non possunt esse principia.

Obj. entia naturalia fiunt ex illis in qua resolvuntur: atqui omnia entia naturalia resolvuntur in quatuor elementa; ergo entia naturalia fiunt ex quatuor elementis.

Respondeo 1. ex mente illorum, qui dicunt elementa non remanere formaliter in mixtis, neg. min. quia entia naturalia non possunt resolvi, nisi in illa quæ habent formaliter; ergò cùm non habeant formaliter elementa, non possunt resolvi in illa.

Respondeo 2. ex mente illorum qui docent elementa remanere formaliter in mixtis, dist. min. entia naturalia resolvuntur in quatuor elementa, per resolutionem aliquam non ultimam, con. per resolutionem ultimam, nego, quia elementa resolvuntur in alia, nempè in materiam, & formam, ut dictum fuit in conclusione, & ita non possunt esse principia.

Instabis: atqui elementa non resolvuntur in alia; ergo nulla solutio prob. subs. elementa sunt corpora simplicia; ergo non resolvuntur in alia.

Respondeo 1. dist. subs. elementa non resolvuntur in alia corpora, con. principia, nego, nempe in materiam, & formam.

Resp. 2. neg. subs. ad cujus prob. dist. ant. elementa sunt corpora simplicia, per exclu-

sionem compositionis accidentalis, con. per exclusionem compositionis substantialis, neg. quia duplex datur compositio, una substantialis, & altera accidentalis. Compositio substantialis fit ex materiâ & formâ, & illa reperitur in elementis, quæ proinde non sunt corpora omnimodè simplicia. Compositio accidentalis, est illa; quæ fit ex conbinatione quatuor primarum qualitatum, quæ non reperitur in elementis; quia ut fusè in suo loco probabitur, in quolibet elemento duæ tantùm reperiuntur qualitates.



ARTICULUS VIII.

De principijs rerum secundum doctrinam Patris Maignan.

NOtandum est 1. quod Pater Maignan, vir ingenio ac doctrinâ insignis, novam pro rerum principijs hypothesim excogitavit. Nomine autem principij sive elementi intelligit corpus simplex, hoc est cujus omnes partes sint homogeneæ seu ejusdem generis cum toto; sic aqua est elementum, quia quælibet pars aquæ etiam minutissima est ejusdem generis cum aquâ totali; unde dixit in secundâ parte Philosophiæ naturæ p. 1131. cap. 13. prop. 1. num. 3. quod elementum absolutè spectatum definitur *Substantia corporea homogenea*, sive substantia quanta & extensa & constans partibus ejusdem generis. unde, quia elementi definitio

convenit igni , aëri , aquæ , & terræ , docet cum nonnullis elementarijs , quòd illa quatuor elementa sunt principia rerum naturalium.

Notandum 2. quod ille Doctor convenit cum elementarijs , ubi dicit quatuor vulgaria elementa esse principia omnium rerum ; sed ab illorum sententia discedit , ubi docet principia esse plura quàm quatuor : docet enim cap. 13. prop. 13. num. 2. pag. 1179. quòd *præter hæc quatuor elementa , ad compositionem corporum , quæ cernimus , concurrit etiam multa spirituum copia , à stellis , ac planetis derivata.* Illi autem cœlestes influxus sunt principia rerum , quatenus veniunt in compositionem cum istis ipsis elementis , & ita in eodem composito habent rationem materiæ saltem partialis.

Dicendum est prædictam hypothesim non esse admittendam.

Probat. tripliciter : 1. potest rejici illa hypothesis ratione quâ refutata fuit elementariorum sententia.

2. Quia ex illâ opinione necessariò sequeretur , innumera & quasi infinita esse elementa & principia rerum ; eo quod in illâ sententiâ illud est elementum , quod est substantia corporea homogenea : atqui innumeræ & quasi infinitæ sunt substantiæ corporeæ & homogeneæ , quia præter illa quatuor elementa & influxus cælestes sunt plurima salium , sulphurum , lapidum , metallorum , & bituminum genera , aliaque infinita corpora quæ sunt substantiæ homogeneæ ; ergo essent innumera elementa & principia rerum natura-

lium. Certè non videtur quomodo ille Philosophus possit negare tot esse elementa seu principia, quot sunt substantiæ corporeæ & homogeneæ. Si verò illud fateatur, sequitur ergo veram esse sententiam Anaxogoræ, qui infinita admittebat principia. Falsam autem esse illius sententiam probat Aristoteles: ex eo quod inde sequeretur res naturales cognosci non posse ex parte suorum principiorum, quæ capi & cognosci non possent: siquidem infinitum ut sic, est incognostibile; & propterea Philosophia naturalis de medio tolleretur.

Tertio: ratio quâ Maignanus probat, influxus cœlestes cum elementis in compositionem venire, nullius videtur roboris: ideo enim in loco jam citato dicit quod influxus cœlestes sunt principia: *Quia sub quodam cœlo, seu in tali regione, lætius germinant hæc vel illa sata; sub alijs verò ægrè proveniunt; cùm tamen in eis non desit aquæ copia vel terræ, & ignis etiam ac aër abundè adsint; ita metalla non vbique terrarum gignuntur, nec adamas, aliæve gemmæ:* Certè hæc ratio influxuum cœlestium necessitatem declarat, pro illarum rerum productione: sed nullo modo probat influxus cœlestes esse rerum principia. Fatemur ergò influxus cœlestes esse necessarios ad rerum productionem; sed inde tamen non sequitur, ipsos esse rerum principia.



ARTICULUS IX.

De principijs rerum secundum sententiam Nicolai Cabei.

NOtandum est 1. quod Nicolaüs Cabeus Ferrariensis, Societatis Jesu, novam statuit hypothesim pro rerum principijs lib. enim 4. textu 2. quæstione 5. docet, quod res omnes constant ex triplici parte, quæ sunt vera & Physica rerum principia. prima est substantia quædã subtilissima, spirituosa, & volatilis. secunda est substantia quædã crassa, fixa, subsistens & corpulenta. tertia est humor aliquis glutinosus, quo aliæ duæ substantiæ connectuntur. prima habet rationẽ formæ, cum ab ipsa corpus denominationẽ & speciẽ accipiat, secunda habet rationem materiæ quæ est ad omnes formas indifferens, & successivè illas recipit. tertia habet rationem unionis, cum alias duas partes conjungat. probat autem tres hujusmodi partes in quolibet corpore reperiri; quia ut ait, constat experientiã nullum esse corpus ex quo per artem chymicam non extrahantur substantiæ quædam subtilissimæ, quæ propter subtilitatem vocantur spiritus; post extractos spiritus remanent fæces ejusdem corporis sive materia quædam crassa in quo remanet adhuc humor aliquis glutinosus, quod patet ex eo quod si ignis admoveatur ad illam materiam crassam, mox ignem concipit & in cineres redigitur, consumpto per ignem humore illo glutinoso.

No-

Notandum est 2. quod ex eodem Philosopho illi spiritus qui habent rationem formæ sunt in triplici genere. Spiritus inquit, lib. 4. tex. 2. quæst. 5. pag. 79. columna 1. sunt in triplici categoria, seu ad ad tres classes reducũtur quæ sunt verè, & physicè rerũ differẽtiæ. Sunt enim aliqui spiritus minerales quos Philosophi vocabunt spiritus mixtorum seu corporum similarium inanimatorum & ex istis spiritibus fiunt omnia corpora quæ carent omninò animâ & vitâ, & ut mox dicam ex admixtione horum spirituum & separatione fit continua & apparens varietas omnium corporum similarium. 2. Classis est spirituum viventium seu vegetabilium ex quibus dum conjunguntur cum materia fiunt viventia & vegetabilia, & dum separantur pereunt eadem viventia, & si iterum contingat uniri, fiunt iterum alia viventia, & separatis pereunt. 3. Genus est spirituum animalium ex quibus conjunctis, cùm materia fiunt animalia, & illis separatis à materia eadem animalia moriuntur, & si rursus ijdem spiritus conjungantur cum materia iterùm fiunt animalia, & separatis pereunt.

Notandum est 3, docere illum insuper quod in uno genere sunt plures differentię spirituum v. g. in genere spirituum mineralium sunt plures spirituum mineralium differentiæ putat tamen multas rerum differentias oriri ex varia spirituum admixtione. *Sicut enim*, inquit loco laudato , *si habeam tres tantùm pulveres coloratos diversorum colorum, album, nigrum & rubrum, ex istis tribus pulveribus possum componere innumeros colores, plus de uno, aut altero admiscendo, cum majori vel minori materia, sic*

D

existimo, ex varia nempe spirituum admixtorum admixtione, plurimas plantarum & herbarum species oriri, plurimas animantium formas prodire, cùm tamen spiritus non sint inter se diversi.

Dicendum est novam Cabei hypothesim non esse admittendam.

Probatur multipliciter 1. illa tria assignata non sunt corpora simplicia, cum per artem chymicam possint in alia resolvi; ergo non sunt principia.

2. Ex illa Cabei sententia sequitur nihil de novo produci in generatione, nihilque in corruptione perire, sed illa duo falsa sunt, ut alio in loco probabitur ergò; falsa est Cabei sententia.

3. Ubi Cabeus suam conatur statuere hythesin videtur aliquid contradictionem involvens dicere; docet enim loco jam dicto quod plantarum differentiæ oriuntur ex diversa spirituum vegetabilium admixtione, quamvis illi spiritus non sint inter se diversi:&in eodem loco & eadem pagina jam dixerat, quod in eodem genere sunt plures differentiæ spirituũ, hoc est in genere vegetabili sunt plurimæ spirituum vegetabilium differentiæ; ergo docet quod spiritus vegetabiles sunt diversi, & non diversi.



QUÆSTIO II.

De materia prima.

CUM jam superiori quæstione fuisè à nobis actum fuerit de principijs corporis naturalis in communi, agendum nunc est de singulis in particulari. In istâ ergò quæstione agetur de materiâ primâ, de quâ septem quærentur in septem articulis.



ARTICULUS I.

An sit, & quid sit materia prima.

DIcendum est 1. dari materiam primam. Probat. datur generatio & corruptio: atqui non potest dari generatio & corruptio, nisi detur materia prima; ergo datur materia prima. Major est evidens; patet enim quòd una substantia producit aliam substantiam, unus v. g. ignis producit alium ignem; illa autem actio productiva ignis nihil aliud est quàm generatio. Minor etiam est evidens; siquidem in generatione præsupponitur subjectum, & in corruptione relinquitur subjectum, quod non potest esse nisi materia prima, quę certè admittitur ab omnibus philosophis, sed non eodem

modo: Carteſiani enim pro materiâ primâ ponunt particulas quantitatis, Gaſſendiſtę atomos, Elementarij elementa, & ſic de cæteris.

Obj. Si daretur materia prima, poneretur in aliquo prædicamento: atqui in nullo poteſt reponi, cum ex Ariſt. 7. Metaphiſ. cap. 3. textu 8. *Materia non ſit neque quid, neque quale, neque quantum*; ergo non datur materia prima.

Reſp. diſt. maj. materia prima poneretur in prædicamento reductivè, con. directè nego, ratio eſt, quia cùm materia ſit pars compoſiti, reducitur ad compoſitum; & ita ponitur reductive in eodem prædicamento quo illud; & hoc ſatis eſt pro ente incompleto, quale eſt materia prima.

Dicendum eſt 2. materiam primam eſſe ſubjectum primum, ex quo aliquid fit, & non ſecundum accidens.

Prob. & explicatur definitio: 1. dicitur ſubjectum quod ponitur veluti loco generis, quia per illud vocabulum materia prima convenit cum ſecundâ, hoc eſt cum toto compoſito quod dicitur ſubjectum formarum accidentalium. 2. Dicitur ſubjectũ primum, & ſic diſcrepat à ſubjecto ſecundo, quod eſt compoſitum phyſicum. 3. Materia prima dicitur ſubjectum primum ex quo aliquid fit, ad excludendas alias cauſas; nam efficiens eſt illa à quâ aliquid fit; cauſa finalis eſt illa propter quam aliquid fit; formalis eſt illa per quam aliquid fit. Ultimò dicitur non ſecundum accidens, ad excludendam privationem ſive terminum à quo; quia ex privatione non fit ali-

quid ut ex constituente, sicut ex materiâ, sed tanquàm ex aliquo quod relinquitur, itaut privatio se habeat per accidens ad rem in facto esse.



ARTICULUS II.

Utrum materia prima sit pura potentia excludens actum essentiæ.

NOtandum est 1. duplicem esse potentiam, scilicèt activam & passivam. Activa nihil aliud est, quàm vis aliqua faciendi & operandi. Passiva verò nihil est aliud, quàm facultas aliqua patiendi sive recipiendi. Non disputatur hîc de potentiâ activâ, sed tantùm de passivâ: & quæritur, utrum materia sit ita pura potentia, ut excludat omnem actum; quod ut meliùs intelligatur.

Notandum est 2. quadruplicem esse actum, nempè Physicum, Metaphysicum, essentiæ, & existentiæ. Physicus est forma substantialis, vel accidentalis. Metaphysicus est differentia specifica & numerica; actus verò essentiæ est ille, quo essentia ponitur sub determinato essendi modo, sive quo essentia fit actualis; & ille à quibusdam vocatur entitativus, quia constituit rem in esse actualis entitatis: actus tandem existentiæ est ille per quem essentia ponitur perfectè extra causas & nihilum. Actum illum ultimum existentiæ vocant entitativum Scotistæ nonnulli, quia per eum res est actu extra suas causas; & ita, juxtà illo-

rum interpretationem, rem habere actum entitativum nihil aliud est, quàm rem esse entitatem realem positivam extra suas causas; sed an illa Scotistarum explicatio sit legitima vel non, hîc inquirendum non existimo, quia est tantùm disputatio de nomine; neque etiam disputabitur hîc de actu physico, cum constet materiam secundum se non includere formam substantialem nec accidentalem; de actu verò metaphysico agetur in 5. istius quæstionis articulo; superest ergò ut in præsenti articulo disputemus dumtaxat de actu essentiæ, disputaturi de actu existentiæ in subsequenti articulo.

Dicendum est, materiam primam ita esse puram potentiam, ut excludat actum essentiæ, hoc est ejus entitatem essentiæ non esse actualem, sed potentialem.

Prob. 1. autoritatibus: 1. Aristoteles 8. Metaphys. cap. 1. ait, *Materiam eam dico, quæ non est actu hoc aliquid, sed potentia.* 2. Sanctus Thomas dicit. 1. contra gent. cap. 43. *In rebus invenitur aliquid quod est potentia tantùm, ut materia prima; aliquid quod est actus tantùm, ut Deus; & aliquid quod est actus & potentia, ut res creatæ*; ergò ex mente sancti Thomæ, & Arist. materia prima est pura potentia.

Prob. 2. ratione: actus essentiæ est ille qui item m determinat in aliquo essendi modo; ergò cum materia secundum se non sit eo modo determinata; eo quod secundum se neque est quid, neque quale, neque quantùm, non habet actum essentiæ, sed excludit illum omninò.

Prob. 3. Si materia includeret actum essentiæ, vel esset actus purus, vel mixtus ex actu & potentiâ: neutrum dici potest; ergò nullum. prob. min. quoad omnes partes.

1. Materia prima non potest dici actus purus seu tota actus, quia actus & potentia mutuo se se excludunt: siquidem ex Arist. & S. Thoma, ens dividitur in actum & potentiam; ergò potentia non potest esse actus, nec actus potest esse potentia: atqui materia ab omnibus dicitur potentia; ergò non potest dici actus. Insuper si esset actus, vel esset actus inexistens seu informans, & ita aliud subjectum præsupponeret; quod implicat, cùm ea sit primum subjectum: vel esset actus per se subsistens, quod non potest admitti, quia actus per se subsistens est perfectissimus, & materia prima est ens omnium entium imperfectissimum.

2. Non potest esse mixta ex actu & potentiâ, quia sic materia esset primum subjectum, & non esset; esset, ut supponitur, cùm hæc sit ejus essentia, & non esset cum ut sic supponeret aliud, nempè potentiam illam ex quâ constaret cum tali actu.

Obj. 1. Si materia prima ita esset pura potentia ut non includeret actum essentiæ, & non esset ens actu, esset mœrum nihil, quia inter ens actu, & non ens actu non datur medium: atqui materia prima non potest esse mœrum nihil; ergò non potest esse pura potentia.

Resp. 1. dist. maj. Si materia prima esset pura potentia objectiva, esset purum nihil, con. si materia prima esset pura potentia sub-

Resp. dist. ant. materia prima debet assimilari Deo, in ratione entis con. in ratione actus neg. quia Deus potest considerari præcisè ut est ens, & ut est ens actualissimum; & ita aliquid potest assimilari Deo secundum illam duplicem formalitatem: Verum quidem est quòd materia prima assimilatur Deo in ratione entis, quatenùs non est nihil; non verò in ratione actus, quatenùs materia excludit omnem actum, ut jam probatum fuit, & patet exemplo infinitatis in quâ nulla creatura ei assimilatur; non enim ipsam participat, licet participet rationem entis.

Inst. Atqui materia debet assimilari Deo, in ratione actus; ergò nulla solutio. Prob. subs. effectus debet proportionari causæ sub ratione sub quâ causa est causa: atqui Deus est causa materiæ & omnium entium, quatenùs est actus; ergò materia debet assimilari Deo in ratione actus.

Resp. nego subs. ad cujus prob. dist. maj. effectus adæquatus & completus debet assimilari causæ con. Effectus inadæquatus & incompletus, nego quia ille effectus est adæquatus qui solus & totaliter terminat actionem producentis; sed materia sola & totaliter non terminat actionem Dei producentis: Deus enim non producit solam materiam, sed producit simul materiam, & formam, hoc est compositum; & ita materia est effectus tantùm inadæquatus & incompletus.

Obj. 3. Materia prima habet bonitatem; ergò habet aliquem actum.

Resp. 1. dist. ant. materia prima habet bonitatem, per ordinem ad formam, con. se-

cundum se, neg. quia materia prima eodem modo est bona, quo est ens; est autem ens per ordinem ad formam, & ita est bona per eundem ordinem.

Resp. 2. Materia prima habet potentiæ bonitatem, con. habet bonitatem actus & perfectionis, nego.

Resp. 3. Materia prima habet bonitatem medij & ordinis, con. habet bonitatem formalem, nego Quia materia prima est ordinata ad aliquid bonum, scilicet ad formam & compositum.

Obj. Ultimò : eodem modo materia prima est potentia, quo forma est actus : atqui forma non est actus purus ; ergò materia non est pura potentia.

Resp. 1. neg. maj. quia materia est rerum infima. Deus verò est ens supremum ; & ita sicuti Deus excludit omnẽ omninò potentialitatem, ita materia excludit omnem actum. forma verò medium tenet inter materiam & Deum : & ita participat aliquid ab utroque; participat à Deo, quòd sit actus ; à materiâ verò, quòd sit potentia.

Resp. 2. neg. eandem maj. propter aliam rationem ; quia non potest dari ens creatum quod sit actus purus, sed potest dari ens creatum, quod sit pura potentia sive ens imperfectissimum. Primum autem non potest dari; quia ens creatum non est actus, nisi per assimilationem, & accessum ad Deum : cùm autem omnimodus ad Deum accessus non sit possibilis creaturæ, ideò nec potest dari aliquod ens creatum quod sit actus purus. Secundum potest dari ; quia ens creatum sit im-

perfectum per recessum à Deo: omnimodus autem recessus à Deo est possibilis, cùm nihilum omninò recedat à Deo. Materia ergò quæ ferè accedit ad nihilum, potest dici pura potentia & ens imperfectissimum.



ARTICULUS III.

Vtrum materia prima habeat actum existentiæ sibi proprium.

Dicendum est materiam primam esse ita puram potentiam, ut excludat actum existentiæ.

Prob. 1. Authoritate S. Thomæ qui 1. parte quæst. 7. art. 2. ad 3. *Materia prima*, inquit, *non existit in rerum naturâ per se ipsam, cùm non sit ens in actu, sed potentiâ tantùm:* Atqui materiam primam non existere in rerum naturâ per se ipsam, & non esse ens in actu, est materiam primam non habere propriam existentiam; ergò materia prima, ex S. Thoma non habet propriam existentiam.

Prob. 2. ratione: si materia prima haberet existentiã ex se, haberet illam antequam reciperet formã: atqui non potest habere existentiam, antequã recipiat formã; ergò non potest habere exstentiã ex se, prob. min. materia prima priùs recipit formã quàm existentiã; ergò materia prima non habet existentiã antequã recipiat formam. Prob. ant. materia prima illud priùs recipit, ad quod priùs ordinatur: atqui materia prima priùs ordinatur ad for-

mam substantialem, quàm ad existentiam; ergò priùs recipit formam substantialem, quàm existentiam, prob. min. potentia essentialiter substantialis, priùs ordinatur ad actum substantialem, quàm ad actum accidentalem: atqui materia prima est essentialiter potentia substantialis, & forma est actus substantialis, existentia verò est actus accidentalis; ergò materia prima priùs ordinatur ad formam substantialem, quàm ad existentiam; ergò non priùs recipit existentiam, quàm formam.

Prob. 3. materia prima habens existentiam non faceret unum per se cum formâ: atqui materia debet facere unum per se cum formâ; ergò materia prima non habet existentiam. Prob. maj. ex duobus entibus habentibus existentiam non fit unum per se; ergò si materia prima haberet existentiam non faceret unum per se cum formâ, sed aggregatum tantùm per accidens, quod est absurdum.

Respondent aliqui quod materia habens existentiam facit unum per se cum formâ; quia existentia materiæ se habet ad existentiam formæ, sicut actus ad potentiam.

Sed contra: quæ sunt in eodem genere non possunt ita se habere, ut unum habeat rationem actus, & aliud habeat rationem potentiæ: atqui existentia materiæ, si quæ esset, & existentia formæ essent in eodem genere, nempè in genere existendi; ergò non possunt se habere sicut actus ad potentiam.

Obj. 1. materia prima non recipit existentiam à formâ, eo quod materia & forma diversas habeant existentias; ergò materia prima habet existentiam ex se. Prob. ant. quæ produ-

producuntur diversis actionibus, habent diversas existentias: atqui materia & forma producuntur diversis actionibus; ergò materia & forma habent diversas existentias. Prob. min. materia producitur per creationem, forma verò per generationem; ergò materia & forma producuntur diversis actionibus.

Resp. neg. ant. & min. & ad prob. dist. ant. materia producitur per creationem terminatam ad compositum, con. terminatam ad se solam, nego; quia sola materia non creatur, sed totum compositum; unde docet S. Thomas 1. p. q. 7. art. 2. ad 3. *Quòd materia est magis aliquid concreatum, quàm creatum.* Rationem suggerit idem Doctor 1. p. quæst. 45. art. 4. in corpore his verbis: *creari est quoddam fieri, fieri autem ordinatur ad esse rei; unde illis propriè convenit fieri & creari, quibus convenit esse*; sed soli composito convenit esse, non verò partibus, quæ non existunt sed coexistunt: & sic compositum creari propriè dicitur, materia concreari.

Inst. atqui materia prima producitur aliquandò per creationem terminatam ad se solam; ergò tunc per se habet existentiam. Prob. subs. quando ex speciebus Eucharisticis corruptis generantur vermes, existimat S. Thomas 3. p. q. 77. art. 5. in corpore, Deum producere novam materiam ex quâ eodem instanti educuntur formæ substantiales vermium, virtute agentis naturalis; ergò tunc, ex opinione S. Thomæ materia producitur per creationem terminatam ad se solam.

Resp. 1. neg. subs. & ad prob. dico S.Tho-

mam hoc non dicere asserendo, sed tantùm docere quòd opinio quam in verbis præcedẽtibus attulit, posset sic propugnari. Illa autem opinio, quam in illo loco affert S. Thomas, erat quorundam qui asserebant quòd redibat substantia panis & vini in ipsâ corruptione specierum, & quòd sic ex substantiâ panis & vini redeunte generabantur vermes, aut aliquid ejusmodi: Sed illa sententia, inquit S. Thomas, non potest propugnari, *nisi fortè dicatur quod in ipso ultimo instanti corruptionis specierum redit non quidem substantia panis & vini, sed materia panis & vini, quæ magis de novo creata diceretur quàm rediens, propriè loquendo, & secundum hoc posset sustineri prædicta positio*: quod autẽ S. Thomas in suâ sententia loquens docuerit novam non creari materiam, patet; cum in eodem loco doceat quantitatem dimensivam panis & vini miraculosè accipere vim, ut sit primum subjectum accidentium, ex quo educantur formæ vermium; ita ut quantitas panis & vini verè faciat quidquid faceret panis, si adesset.

Resp. 2. neg. subs. ad cujus prob. concesso antecedente dist. conseq. materia producitur per creationem terminatam ad se solam per accidens, con. per se, neg. quia materia in illo casu dicitur produci per accidens per creationem ad se solam terminatam, ex eo quòd materia ex se non postulet ita fieri & produci; alioquin semper illo modo produceretur, & inde rectè concluderetur materiam primam habere propriam existentiam: tunc autem per accidens illo modo producitur ob

exigentiam agentis naturalis quod debet producere formas vermium, & quod non potest illas producere, nisi præsupponatur aliqua materia.

Resp. 3. dis. alio modo eandem conseq. materia producitur per creationem terminatam ad se solam & productivam entitatis essentialis materiæ, con. per creationem productivam existentiæ materiæ, neg. quia tunc actio creativa non debet producere existentiam rei quando conjungitur altera actio productiva talis existentiæ : sed in illo casu conjungitur altera actio productiva talis existenti, nempè actio agentis naturalis, per quam formæ vermium producuntur, & per quam existentia communicatur materiæ; ergò actio creativa Dei non debet producere existentiam materiæ.

Obj. 2. materia est prior formâ; ergò non recipit existentiam à formâ. Prob. ant. materia prima est causa compositi; ergò materia prima est prior formâ & composito.

Resp. dist. ant. materia prima est prior prioritate naturæ, con. prioritate temporis, nego vel est prior in ratione potentiæ, con. in ratione entis actualiter existentis, neg. quia licèt aliqua sint simul tempore, unum tamen potest esse priùs naturâ.

Inst. atqui materia prima debet esse prior in ratione entis actualiter existentis; ergò nulla solutio. Prob. subs. quod causat aliquid, debet actu existere antequam causet: atqui materia prima causat compositum; ergò debem actu existere, antequam causet compositum.

Resp. neg. subs. ad cujus prob. dist. maj. quod causat per modum causæ efficientis, debet actu existere antequam causet, con. quod causat per modum causę materialis, neg. quia illud discrimen intercedit inter causam efficientem & materialē, quòd causa efficiens causet dando existentiam, & ita debet habere illam: causa verò materialis causat, non dando existentiam, sed recipiendo, & ita non debet habere.

Inst. iterum: atqui quod causat per modum causæ materialis, debet prius existere; ergò nulla solutio. Prob. subs. quod causat per modum causæ materialis debet esse extra nihil; ergò debet prius existere.

Resp. neg. subs. ad cujus prob. dist. ant. quod causat per modum causæ materialis debet esse extra nihil, ratione essentiæ, con. ratione existentiæ, neg. vel quod causat per modum causæ materialis debet esse extra nihil incompletè, con. completè, neg. quia res quælibet ponitur extra nihil incompletè per se ipsam, completè verò per existentiam.

Inst. iterum: atqui materia prima est extra nihil completè; ergò nulla solutio. Prob. subs. quod est actu & extra causam efficientem, est extra nihil completè: atqui materia prima antequam causet compositum, est actu & extra causam efficientem; ergò est extra nihil completè.

Resp. 1. neg. subs. ad cujus prob. dist. primam partem maj. quod est actu, ut constans actu & potentiâ est extra nihil completè, con. quod est actu, ut suscipiens actum, est extra nihil completè, neg. aliquid autem po-

test esse actu triplici modo. 1. Ut suscipiens actum, & ita materia prima est actu. 2. Ut dans actum, & ita forma est aliquid in actu. 3. Ut aliquid constitutum ex potentiâ & actu, & ita compositum est actu.

Resp. 2. neg. idem subs. ad cujus prob. dist. maj. quod est extra causam efficientem independenter à formâ, est extra nihil completè, con. quod est extra causam efficientem dependenter à formâ, est extra nihil completè, neg. similiter distinguenda est minor: atqui materia est extra causam efficientem dependenter à formâ, con. independenter à formâ, neg. quia nusquam sola materia creatur, sed simul producitur forma à quâ materia recipit existentiam; & ita materia dicitur concreata.

Obj. 3. si materia prima reciperet existentiam à formâ, materia prima generaretur: atqui non potest generari, cum sit ingenerabilis, ut infra probabitur; ergò materia prima non potest recipere existentiam à formâ prob. maj. generari est transire de non esse ad esse: atqui materia transiret de non esse ad esse; ergò materia generaretur.

Resp. neg. maj. ad cujus prob. nego min. quia materia nusquàm transit de non esse ad esse, sed semper transit de uno esse ad aliud esse, v. g. materia quâ informatur anima viventis transit de esse formæ cadaveris, & ita non dicitur generari; similiter neque potest dici corrumpi, quia nusquam transit de esse ad non esse, sed semper transit de uno esse ad aliud esse.

Obj. 4. quod potest naturaliter existere si-

ne formâ non recipit existentiam à formâ: atqui materia potest naturaliter existere sine formâ, & de facto extitit sine formâ; ergò materia non recipit existentiam à formâ. Prob. min. initio mundi materia fuit informis: atqui materiam fuisse informem, est materiam extitisse sine formâ, eo quod illa materiæ informitas importat carentiam omnis formæ, ut patet authoritate S. Aug. qui lib. 12. Confess. cap. 12. & lib. 2. de Genesi ad litteram cap. 11. & lib. 1. de Genesi contra Manich. cap. 5. & 7. locum illum genesços, *terra autem erat inanis & vacua*, interpretatur de materiâ primâ quæ erat informis & vacua ob carentiam formarum; ergò materia prima extitit sine formâ.

Resp. neg. min. & ad prob. dist. 2. partem alterius minoris. Materiæ informitas importat carentiam omnis formæ, quæ carentia præcessit informationem materiæ aliquâ prioritate naturæ, con. aliquâ prioritate temporis, neg. quia verum quidem est quòd quamvis locis prædictis S. Aug. per informitatem illam materiæ intelligat carentiam omnis formæ, sentit tamen & docet eam informitatem præcessisse formationem ejusdem materiæ, origine tantùm & ordine naturæ, quod expresfè asserit 13. Confess. art. 33. *cum*, inquit, *aliud sit cœli & terræ materies, aliud cœli & terræ species, materiam quidem de omninò nihilo, mundi autem speciem de informi materia: simul tamen utrumque fecisti, ut materiem forma nullâ moræ intercapedine sequeretur.*

Inst. atqui materiæ informitas præcessit

formationem ejusdem materiæ prioritate temporis: siquidem illud docent S. Basilius hom. 2. in Exameron, & Chrisost. hom. 2. in Genesim; ergo nulla solutio.

Resp. dist. subs. informitas materiæ præcessit prioritate temporis formationem accidentalem ejusdem materiæ, con. formationem substantialem, nego; quia datur duplex forma, scilicèt forma substantialis & accidentalis, & per utramque potest materia diverso quidem modo informari. Per formam substantialem informatur substantialiter; per formam vero accidentalem accidentaliter: quando autem Patres jam citati dicunt quod informitas materiæ præcessit prioritate temporis formationem ejusdem, loquuntur tantùm de formatione accidentali, hoc est intelligunt materiam fuisse informem per aliquod tempus, ex eo quod tantùm in instanti creationis non habuerit totam pulchritudinem, totum decus, totamque perfectionem accidentalem quam successu temporis recepit; & proinde illi sancti Patres dicunt quod materia fuit per aliquod tempus privata formâ accidentali, non verò substantiali.





ARTICULUS IV.

Utrum materia prima possit divinitus existere sine formâ.

Dicendum est materiam non posse etiam divinitus existere sine formâ.

Prob. quod aliquid sit & non sit, à Deo fieri non potest: atqui si materia existeret sine formâ, esset & non esset; ergò materia prima non potest etiam divinitus existere sine formâ. Prob. min. materia prima esset, ut supponitur, & non esset, quia quod non est determinatum in aliquâ specie, non est: atqui materia prima sine formâ non est determinata in aliquâ specie, quia materia recipit determinationem à formâ; ergò materia prima non esset. Prætereà quod est essentialiter incapax existentiæ non potest etiam divinitus existere sine formâ: atqui materia prima ante formam est essentialiter incapax existentiæ; ergò non potest etiam divinitus existere sine formâ. Prob. min. primum subjectum essentialiter est incapax actus secundi, antequam recipiat actum primum; ergò materia est incapax existentiæ ante formam, quia forma est actus primus, & existentia est actus secundus.

Obj. 1. accidentia possunt existere divinitus sine subjecto; ergò materia prima potest etiam divinitus existere sine formâ. Prob.

conseq. magis dependent accidentia à subjecto, quàm materia à formâ : atqui accidentia possunt divinitus existere sine subjecto, ut patet in venerabili Eucharistiæ sacramento; ergò materia prima potest etiam divinitus existere sine formâ.

Resp. neg. conseq. ad cujus prob. nego maj. quia accidentia dependent tantùm à subjecto naturaliter, non verò essentialiter. Siquidem inhærentia actualis est tantùm naturalis accidentibus, non verò essentialis; Deus autem potest tollere à re quod tãtum est illi naturale. Materia verò dependet essentialiter à formâ, quia potentia essentialiter substantialis dependet essentiatialiter ab actu substantiali per quem specificatur & determinatur ad tale esse.

Obj. 2. materia prima potest existere sine formâ, si possit realiter separari à formâ: atqui materia prima potest realiter separari à formâ; ergò potest existere sine formâ. Prob. min. illa quæ inter se realiter distinguuntur possunt inter se realiter separari: atqui materia prima distinguitur realiter à formâ; ergò potest realiter separari à formâ.

Resp. neg. min. ad cujus prob. nego maj. quia licet verum sit quod illa quæ separantur realiter, distinguuntur realiter (siquidem maximum distinctionis realis signum est realis separatio) non tamen verum est quòd omnia quæ distinguuntur realiter, separentur realiter propter essentialem dependentiam quam unum dicit ab alio; & ita licèt relatio, & terminus distinguantur realiter, relatio tamen non potest separari à termino & exi-

ſtere ſine illo: ſimiliter licèt viſio & objectum diſtinguantur realiter, viſio non poteſt realiter ſeparari ab objecto, & exiſtere ſine illo.

Obj. 3. Deus poteſt facere per ſe ipſum quidquid facit per cauſam ſecundam: atqui Deus facit ut materia exiſtat per formam; ergò poteſt facere per ſe ipſum ut materia exiſtat ſine formâ.

Reſp. diſt. maj. Deus poteſt facere per ſe ipſum quidquid facit per cauſam ſecundam efficientem, con. quidquid facit per cauſam formalem, neg. implicat enim quod Deus faciat per ſe ipſum quidquid facit per cauſam ſecundam formalem; quia ſic Deus, qui eſt ens infinitum, limitaretur, cum officium cauſę formalis ſit recipere actuare materiam; & ita ſi Deus ſuppleret officium cauſæ formalis reciperetur in materiâ, & proinde limitaretur.

Obj. ultimò: Deus poteſt per exiſtentiam propriam ſupplere exiſtentiam creatam, ut patet in humanitate Chriſti, quæ exiſtit per exiſtentiam divinam; ergò poteſt facere ut materia exiſtat ſine formâ.

Reſp. diſt. ant. Deus poteſt ſupplere exiſtentiam ſtante formâ, con. non ſtante formâ, nego; quia humana Chriſti natura, quæ exiſtit per exiſtentiam divinam, prius eſt conſtituta per ſuam propriam formam, nempè animam rationalem.



ARTICULUS V.

Utrum materia habeat appetitum ad omnes formas.

NOtandum est, appetitum nihil aliud esse quàm inclinationem rei ad illud quod sibi convenit: unde pro duplici inclinatione, admittitur communiter duplex appetitus, innatus scilicet, & elicitus. Innatus est ille quo res fertur in aliquid absque ullâ præviâ cognitione, v. g. corpora gravia deorsum, levia sursùm feruntur appetitu innato. Appetitus verò elicitus est ille qui sequitur cognitionem, sic homo appetit divitias. Non agimus hîc de postremo hoc appetitu, sed de primo dumtaxat.

Dicendum est quòd materia prima appetitu innato appetit omnes formas, præsentes quidem appetitu quietis & complacentiæ, præteritas appetitu proportionis, futuras verò appetitu tendentiæ & desiderij.

Prob. appetere formas, est tendere ad formas: atqui materia tendit ad omnes formas; ergò appetit omnes formas. Prob. min. omnis potentia tendit ad actum suum, & omnis inchoatio & imperfectio tendit ad suum complementum & ad suam perfectionem: atqui forma est actus seu complementum & perfectio materiæ; ergò materia tendit ad formam; ergò cum omnes formæ tam præsentes, quàm præteritæ, quàm futuræ sint

illius perfectio, ad omnes tendit indifferenter.

Obj. 1. si materia haberet appetitum ad omnes formas, haberet aliquem actum: atqui materia nullum potest habere actum, cum sit pura potentia, ut jam dictum fuit; ergò non potest habere appetitum ad omnes formas.

Resp. dist. maj. si materia haberet appetitum per modum actualis tendentiæ haberet actum, con. si haberet appetitum per modum passivæ capacitatis, neg. Appetitus autem materiæ non est actualis tendentia, sed est passiva capacitas ad formam ordinata: siquidem materia prima appetit formas, non ex eo quod eliciat aliquem actum quo feratur in illas, sed quia potest recipere successivè omnes formas.

Obj. 2. si materia prima haberet appetitum ad omnes formas nusquam satiaretur, quia cum formæ sint infinitæ, & infinitum non possit exhauriri, numquam satiaretur appetitus materiæ, & proinde esset inutilis; ergò cum natura & Deus nihil faciant frustra, materia prima non habet talem appetitum.

Resp. dist. ant. materia numquam satiaretur actu, & in facto esse, con. succissivè & in fieri, neg. quia materia eodem modo habet appetitum ad omnes formas, quo illas potest recipere, non potest autem illas recipere nisi successivè, & sic satiatur successivè, semperque est in satiari, & nunquam in satiato esse.

Obj. 3. cum nostro Doctissimo Patre Milhet in 1. Tract. suæ Phys. Sect. 2. controv. 4. 7. argumento:

argumento. si materia appeteret omnes formas, magis appeteret perfectiores quàm imperfectiores; quia licet ejus appetitus non sequatur cognitionem quæ sit in ipsâ, sequitur tamen cognitionem auctoris naturæ qui illam sic inclinavit: atqui non magis appetit perfectiores, imò aliquando dum habet perfectiorem, appetit imperfectiorem, ut patet in homine, in quo appetit formam cadaveris, dum est sub formâ rationali, quæ est omnium perfectissima; ergò absolutè nullas appetit formas.

Resp. cum eodem Doctore solidissimo dist. maj. Si ferretur ad eas, ut habent rationem entis, con. si ut habent rationem formæ, neg. sub illâ enim ratione omnes cùm sint æquales, omnes indifferenter respicit, cùm omnes perficiant illam & actuent, illique existentiam tribuant, vel etiam materia appeteret perfectiores, si una esset perfectior aliâ in ratione formæ, con. Si una sit perfectior in ratione entis, nego, omnes enim formæ sunt æqualiter perfectæ in ratione formæ, cùm omnes in sublunaribus sint amissibiles: una tamen est perfectior aliâ in ratione entis, v.g. anima rationalis est quidem omnium formarum perfectissima in ratione entis, sed in ratione formæ est æqualis perfectionis cum cæteris formis, quia in hoc statu informat materiam amissibiliter, ut cæteræ.



ARTICULUS VI.

Vtrum materia prima habeat vnitatem specificam & numericam, sive vtrum habeat actum Metaphysicum.

DIcendum est 1. materiam primam secundum se non habere unitatem specificam.

Prob. illud non habet unitatem specificam, quod secundum se non habet principium talis unitatis: atqui materia prima secundum se non habet principium unitatis specificæ; ergò secundum se non habet unitatem specificam. Prob. min. principium unitatis specificæ est forma: atqui materia secundùm se non habet formam; ergò secundum se non habet principium unitatis specificæ.

Dicendum est 2. materiam primam secundùm se non habere unitatem numericam.

Prob. materia prima secundum se non habet principium unitatis numericæ; ergò neque ipsam unitatem numericam. prob. ant. quantitas est principium unitatis numericæ, ut probabitur in metaphysicâ: atqui materia prima secundum se non habet quantitatem, quia sola materia non potest esse subjectum accidentium; ergò materia prima secundùm se non habet principium unitatis numericæ.

Obj. 1. Materia cœlestis & materia sublu-

naris in hoc differunt: quia materia cœlestis respicit actum, ut inamissibilem; materia verò sublunaris respicit actum, ut amissibilem: atqui hoc modo differre est habere differentiam & unitatem specificam; ergò materia prima habet unitatem specicfiam.

Resp. dist. min. hoc modo differre, est habere differentlam negativam, con. est habere differentiam positivam, neg. Ratio distinctionis est, quia potentiæ differunt secundum modum respiciendi actus suos; & ideo cùm talis ordo sit ipsa materia connotans formam, & materia sit pura potentia excludens omnem actum, sic non potest habere nisi unitatem negativam, quia non habet in se aliquid positivum per quod specificè dividatur.

Inst. atqui materia prima habet unitatem positivam; ergò nulla solutio. prob. subs. quod est positivum habet unitatem positivam, quia unitas est proprietas entis, & proinde talis est unitas, quale est ens: atqui materia prima est ens positivè; ergò habet unitatem positivam.

Resp. neg. subs. & ad prob. dist. maj. quod est ens positivum actuale habet unitatem positivam & actualem, con. quod est ens positivum potentiale habet aliam unitatem positivam nisi transcendentalem, & meræ potentiæ, neg. vnitas enim positiva transcẽdentalis quæ est communis omnibus, convenit quidem materiæ: sed ipsa unitas non potest constituere materiam in specie positivâ & actuali; quia quod est sic constitutum, debet habere unum conceptum per quem conveniat & alium per quem differat: illa autem unitas transcendentalis non facit ut materia conveniat, & ma-

F 2

teria differat ; & sic non constituit materiam in specie actuali.

Obj. 2. Quod definitur habet differentiam: atqui materia definitur ; ergò habet differentiam.

Resp. dist. maj. quod definitur definitione propriè dictâ habet differentiam , con. quod definitur definitione lato modo sumptâ habet differentiam , nego. materia autem propriè non habet genus , neque differentiam , & sic non definitur propriè , sed descriptivè.



ARTICULUS ULTIMUS.

Utrum materia sit ingenerabilis & incorruptibilis.

Dicendum est materiam esse ingenerabilem , & incorruptibilem.

Probatur. quod non fit ex præsupposito subjecto non generatur , & quod non destruitur remanente subjecto communi non corrumpitur : atqui materia non fit ex præsupposito subjecto , & non destruitur remanante subjecto communi : ergo materia non generatur , neque corrumpitur. Major est evidens , quia generari est fieri ex præsupposito subjecto , & corrumpi est destrui remanente subjecto communi. Sicuti creari est produci ex nullo præsupposito subjecto, & annihilari est destrui nullo remanente subjecto cõmuni. prob. verò min. quantùm ad primam partem materia prima est primum

ſubjectum ex quo omnia fiunt : ergo ipſa materia non fit ex præſuppoſito ſubjecto, & proinde non generatur. Prob. ſimiliter quantùm ad ſecundam partem. Materia eſt ultimum ſubjectum in quod omnia reſolvuntur : ergo materia prima non deſtruitur remanēte ſubjecto cōmuni, & proinde materia non corrūpitur.

Obj. Quod eſt cauſa generationis eſt generabile juxta tritum axioma, propter quod unumquodque tale & illud magis : atqui materia eſt cauſa generationis ; ergo materia eſt generabilis.

Reſp. diſt. maj. quod eſt cauſa generationis eſt generabile, ut quo vel ut quod ; con. ut quod ſemper, neg. materia enim non eſt illud quod generatur, ſed illud quo mediante aliquid generatur. Axioma autem allatum debet intelligi tantùm de cauſis quæ ſunt ejuſdem ordinis, & quæ conveniunt cum effectu, quod non contingit materiæ cui non convenit generari: veritas autem axiomatis liquet in ſole, qui licet ſit cauſa caloris in ſublunaribus, non tamen eſt màgis calidus, quàm ſublunaria, cum non ſit cauſa ejuſdem ordinis ſeu univoca cum illis.



QUÆSTIO III.

De formâ & privatione.

CUm jam probatum fuerit, materiam eſſe puram potentiam, & non eſſe ens

actu, nisi per ordinem ad formam; rectus ordo exigit, ut post illustratum illud primum rerum naturalium principium, de duobus alijs principijs agamus, nempe de forma substantiali & privatione. quo autem meliùs dignoscatur formæ substantialis essentia, formæ accidentalis natura examinabitur: agetur ergo de essentia, existentiâ & productione formarum substantialium & accidentalium contra omnes recentiores Philosophos.



ARTICULUS I.

De existentiâ formæ substantialis contra Cartesium & Gassendum.

NOtandum est 1. quòd secundum Peripateticorum sententiam, datur quadruplex formarum substantialium genus, nempe anima rationalis in homine, anima sensitiva in brutis, anima vegetativa in plantis, & forma substantialis in rebus inanimatis. Non quæritur hîc, an detur forma substantialis in homine; quia illud certè non negant recentiores Philosophi, neque etiam agetur de anima sensitiva & vegetativa; quia de illis disputabimus in tractatu de anima, sed tantùm hîc quæretur, an detur forma substantialis in rebus inanimatis, quæ sit aliqua entitas distincta realiter à materiâ.

Notandum est 2. quod omnes recentiores Philosophi admittunt quidem formam substantialem in quolibet composito, sed nolunt

quod illa forma sit aliqua entitas substantialis distincta realiter à materiâ (ut docent Peripatetici;) quid autem sit illa forma quam recentiores admittunt, mira inter illos discrepantia est. hîc tantùm discutientur Cartesij & Gassendi sententiæ, quæ in idem videntur coincidere. Cartesius quidem 4. principiorum parte num. 198. Docet quod forma nihil sit aliud, quam particularum dispositio, figura & harmonia; ita ut in generatione nova aliqua substantia non producatur, sed fiat tantum nova aliqua partium dispositio & configuratio: Gassendus docet similiter, quod forma est tantum certa & determinata atomorum dispositio.

Dicendum est contra Cartesiũ & Gassendũ dari in rebus inanimatis formas substantiales quæ sunt entitates realiter distinctæ à materiâ.

Prob. datur anima rationalis in homine distincta realiter à materiâ; ergo dantur formæ substantiales in compositis inanimatis, quæ sunt entitates distinctæ realiter à materiâ. prob. conseq. ideo datur anima in homine distincta realiter à materiâ, quia materia hominis, quæ est incompleta & imperfecta indiget formâ actuante & informante, per quam perficiatur & compleatur: atqui materia in cæteris compositis inanimatis est incompleta & imperfecta; ergo indiget formâ substantiali, per quam compleatur & perficiatur. prob. min. materia in homine & cæteris cõpositis inanimatis est ejusdẽ rationis; ergo si materia in homine sit incõpleta & imperfecta, materia etiam in cæteris compositis inanimatis erit incõpleta & imperfecta, & proinde

indigebit aliquâ formâ substantiali per quam compleatur.

Respondet Rohaltus 1. par. phys. cap. 18. num. 2. & 3. exemplum ex animâ rationali desumptum nullo modo probare existentiam formarum substantialium in rebus inanimatis. *Quamvis enim*, inquit, *anima rationalis sit forma corporis humani, ut humanum est, nollem tamen concedere quod sit forma illius compositi sensibilis, quod vocatur nostrum corpus, præcisè ut corpus est: non est etiam forma partium corporis, qui a quælibet pars habet suam formam peculiarem, quæ etiam in ipsâ parte manet post separationem animæ rationalis.*

Sed contra. dupliciter certè videtur errare in his Rohaltus. 1. ubi dicit quòd anima rationalis non est forma corporis sensibilis, præcisè ut corpus est; siquidem corpus illud sensibile, præcisè ut corpus, debet habere aliquam formam per quam constituatur & per quam distinguatur substantialiter ab alijs rebus: atqui illa forma non potest esse nisi anima rationalis; ergo anima rationalis est forma corporis, ut corpus est. Prob. min. illud corpus non potest constitui per aliquam partium dispositionem; quia cum illa partium dispositio sit aliquid accidentale, non potest facere distinctionem substantialem; ergo illa forma non potest esse alia quàm anima rationalis.

2. Errat, cum dicit quòd quælibet pars habet suam formã peculiarẽ, quę remanet post separationẽ animæ rationalis, quia ut probabitur in tractatu de animâ, omnes partes hæterogeneæ informãtur formâ totius; ita ut os Petri vivi distinguitur specie substantiali ab osse Petri mortui.

Obj. 1. Aristoteles nusquam locutus est de formis substantialibus; ergò non dantur formæ substantiales distinctæ realiter à materiâ.

Resp. neg. ant. quia Aristoteles plurimis in locis docuit dari formas substantiales: siquidem Metaphys. 3. textu 7. dividit substantiam in materiam, formam & illud quod ex utrâque constat, hoc est compositum. Et idem Arist. in toto lib. 1. Phys. docet tria esse rerum principia, scilicet materiam, formam & privationem.

Obj. 2. Boëtius Aristotelis discipulus de Trin. cap. 2. docet, quòd formæ quæ sunt in materiâ, & corpora efficiunt, sunt imagines, hoc est figuræ; ergò ex mente illius Philosophi formæ consistunt tantùm in partium dispositione & figurâ.

Resp. nego conseq. quia quando Boëtius vocat formas imagines, non intelligit quod formæ substantiales compositorum Physicorum consistant in solâ partium dispositione & figurâ, sed tantùm intelligit quòd formæ substantiales materiales sunt imagines formarum immaterialium; idque expresè ipse docet, cum ait: *assimilantur enim formis ijs quæ non sunt in materia constitutæ*; illa autem assimilatio in hoc consistit, quòd sicut formæ substantiales immateriales sunt actus materiæ, & principia operationum perfectissimarum; ita formæ substantiales materiales sunt actus materiæ, & principia omnium operationum quæ producuntur à compositis materialibus.

Obj. 3. si daretur forma substantialis, crearetur & annihilaretur ab agente naturali: at-

qui non potest dici quod creetur & adnihiletur ab agente naturali; ergò non datur forma substantialis. Prob. maj. quoad omnes partes: 1. illud dicitur creari, quod fit ex nihilo & quod producitur secundum totum suum esse: atqui forma substantialis fieret ex nihilo, & produceretur secundum totum suum esse; ergò crearetur. 2. Agens naturale potest destruere compositum: atqui destruendo compositum adnihilaret formam; ergò si daretur forma substantialis, adnihilaretur ab agente naturali. Prob. min. illud dicitur adnihilari, quod desinit secundum totum suum esse: atqui ad destructionem compositi forma desineret secundum totum suum esse; ergò adnihilaretur.

Resp. 1. neg. maj. quia virtus infinita requiritur ad creandum vel adnihilandum. Virtus autem infinita non potest convenire agenti naturali; & ita agens naturale non potest creare neque adnihilare.

Resp. 2. ad primam partem argumenti dist. maj. quod fit tam ex nihilo sui quam subjecti creatur, con. quod fit ex nihilo sui tantùm, nego: similiter distinguenda est minor propositio: forma substantialis fieret ex nihilo sui, con. fieret ex nihilo subjecti, neg. quia creatio exigit, ut res fiat independenter à subjecto præsupposito. Formæ autem substantiales materiales fiunt dependenter à materiâ, & ita non creantur. Patet autèm quòd creatio postulat, ut res fiat ex nihilo subjecti; alioquin quando anima rationalis aliquid cognosceret aut vellet, talis cognitio aut volitio crearetur, quia utraque fie-

ret ex nihilo sui. Similiter posset dici, quòd omnes res crearentur, quia omnes res fiunt ex nihilo sui: siquidem nihil erant antequam essent.

Resp. 3. ad secundam partem argumenti neg. min. ad cujus prob. dist. maj. illud dicitur adnihilari, quod desinit secundum totum suum esse, nullo remanente subjecto communi, con. remanente aliquo subjecto communi, neg: quia sicuti creatio nullum præsupponit subjectum, ita adnihilatio nullum relinquit subjectum. Quando autem formæ destruuntur, relinquunt subjectum, nempè materiam; & proinde non adnihilantur.

Obj. 4. diversa earundem litterarum dispositio facit ut vocabula inter se differant essentialiter, ut ista duo vocabula AMOR, & ROMA, quæ coalescunt ex ijsdem elementis seu litteris diversimodè dispositis; ergo diversa partium dispositio potest facere, ut composita inter se differant essentialiter.

Resp. dist. ant. diversa litterarum dispositio facit, ut vocabula inter se differant essentialiter accidentaliter, con. substantialiter, neg. quia vocabula sunt tantùm composita artificialia, quæ proinde debent tantùm differre accidentaliter: unde non requiritur aliquid substantiale, per quod inter se differant. Entia verò naturalia sunt composita substantialia, quæ proinde debent inter se differre substantialiter; & ita requiritur aliquid substantiale quod possit facere talem distinctionem substantialem, quæ non potest procedere à dispositione partium, quæ est aliquid accidentale.

Inst. atqui dispositio partium est aliquid substantiale, & licet esset aliquid accidentale, posset tamen facere distinctionem substantialem: ergo nulla solutio. Probat. subs. quoad utramque partem: 1. Dispositio partium est aliquid substantiale, quia nihil aliud est quàm partes dispositæ: sed partes dispositæ sunt aliquid substantiale; ergo ipsa partium dispositio est aliquid substantiale. 2. Licet esset aliquid accidentale, posset tamen facere distinctionem substantialem, quia elementa inter se distinguntur per aliquid accidentale, nempè per quatuor primas qualitates. Ignis enim differt ab aquâ, quòd calor conveniat igni, & frigus aquæ; ergo quod est accidentale potest facere distinctionem substantialem.

Resp. 1. neg. subs. ad cujus prob. quantùm ad primam partem dist. min. partes dispositæ sunt aliquid substantiale, secundum entitatem con. secundum formam, nego: quia partes dispositæ important duo 1. important entitatem quæ est aliquid substantiale 2. important formam per quam illa entitas substantialis disponitur: illa autem forma est accidentalis, quia quod alicui secundum entitatem constituto advenit (secundum ipsos etiam Cartesianos) est accidentale: sed ipsa forma nempè dispositio advenit partibus in suo esse constitutis; ergo est accidentalis.

Resp. 2. neg. idem subs. ad cujus probat. quantùm ad secundam partem dist. ant. elementa, ut sunt elementa distinguntur per aliquid accidentale, con. elementa, ut sunt composita naturalia, nego; quia elementa possunt considerari duplici modo. 1. ut sunt

elementa

lemēta, 2. ut sunt cōposita naturalia. Si primo modo cōsiderentur, distinguntur per quatuor primas qualitates: Si verò secūdo modo cōsiderentur, distingūtur per formas substantiales.

Obj. 5. Forma ex Arist. educitur è materiâ, sicut statua ex ære, dictiones ex litteris, domus ex lapidibus, totum ex partibus: atqui statua nihil aliud est quàm partes tali modo dispositæ, dictiones nihil aliud sunt quàm litteræ dispositæ &c. ergo forma nihil aliud est quàm partes materiæ sic dispositæ.

Resp. dist. maj. forma educitur è materiâ, sicut statua ex ære, secundum quid, con. simpliciter & absolutè, nego: quia in hoc conveniunt statua, dictiones, & formæ substantiales, quòd sicut formæ substantiales materiales ita dependent à materiâ, ut non possint esse sine illâ, eodem modo dictiones non possunt esse sine litteris; sed in hoc differunt, quòd forma distinguitur à materiâ, ut jam probatum est, dictiones vero non distinguntur à litteris simul sumptis, sicut nec totum distinguitur à partibus simul sumptis.

Obj. ultimo: forma substantialis, si daretur non esset substantialis sed accidentalis; ergo implicat dari formam distinctam realiter à materiâ. Prob. ant. Illa forma est accidentalis, quæ recipitur in alio tanquam in subjecto; atqui illa forma substãtialis si daretur, deberet recipi in alio tanquã in subjecto: ergo illa forma non esset substantialis, sed accidentalis.

Resp. neg. ant. ad cujus probat. dist. maj. illa forma est accidentalis, quæ recipitur in alio, tanquam in subjecto inhæsionis, con. tanquam in subjecto informationis, neg. si-

militer distinguenda est minor propositio: at qui forma substantialis deberet recipi in alio tanquam in subjecto informationis, con. tanquam in subjecto inhæsionis, neg. quia in hoc conveniunt forma substantialis & forma accidentalis, quòd utraque recipiatur in aliquo subjecto; sed in hoc differunt, quòd forma substantialis recipiatur in subjecto informationis, nempè in materiâ; forma vero recipitur in subjecto inhæsionis, nempè in composito. materia autem dicitur subjectum informationis, quia simpliciter informatur per formam à quâ recipit existentiam; compositum verò dicitur subjectum inhæsionis, quia secundum quid tantùm informatur à forma accidentali cui dat existentiam.



ARTICULUS II.

De existentia formæ substantialis contra Nicolaum Cabeum.

NOtandum est, quòd pater Cabeus pro formâ substantiali admittit aliquam substantiam volatilem & subtilissimam, quæ unitur cum aliâ substantiâ crassâ: non vult tamen, quòd substantia illa subtilissima de novo producatur in generatione: siquidem juxta illum Philosophum, nihil ita absolutè & simpliciter corrumpitur, ut aliquid secundum suam entitatem veram & physicam pereat & abeat in nihilum, sive dicatur forma, sive materia: nihil etiam ita de novo generatur,

it ſubſtantia aliqua vera & phyſica ſecundum ſuam entitatem ponatur de novo in rerum naturâ. Vult ergò, quòd in corruptione, illa ſubſtantia ſpirituoſa ſeparetur à ſubſtantiâ craſſâ, ita tamen ut in eâ ſeparatione non pereat aut abeat in nihilum illa ſubſtantia, ſed tantùm in auras, & hæc ubi iterùm unitur cum aliâ materiâ craſſâ, fit nova generatio. Quare, inquit, libro 4. textu 2. quæſt: 7. *In tota naturâ corporeâ ſublunari, non eſt alia generatio ſubſtantialis nec corruptio, niſi conjunctarum partium ſeparatio, & iterum ſeparatarum nova conjunctio, ex quibus apparent, & verè ſunt mutationes propriæ ſubſtantiales.*

Dicendum eſt prædictam ſententiam Cabei non eſſe admittendam.

Prob. 1. illa ſubſtantia volatilis non poteſt habere rationem formæ; ergo ſententia Cabei non eſt admittenda. Prob. ant. forma debet eſſe intra totam materiam, & cum illâ penetrari: atqui illa ſubſtantia volatilis non poteſt eſſe intra materiam ſeu ſubſtantiam fixam, neque cum illâ penetrari, alioquin duo corpora naturaliter penetrarentur, quod certè rationi & experientiæ repugnat; ergò illa ſubſtantia volatilis non poteſt habere rationem formæ. Major non poteſt negari à Cabeo, ſi enim forma non eſſet intra totam materiam, eſſet aliqua materiæ pars quæ non eſſet informata, quod abſurdum eſt. Minor etiam non poteſt negari, quia penetratio naturaliter non admittitur.

Prob. 2. Sententia Cabei, jam ſepultam & toties damnatam pythagoricorum ſententiam videtur excitare: ergo non eſt admittenda.

prob. ant. Pythagoricorũ ſententia erat, quod in corruptione nulla peribat forma ſubſtantialis, ſed quòd una anima ex unâ materiâ tranſmigrabat in aliam; & ſic eadem forma ſucceſſivè in diverſis recepta materijs diverſa conſtituebat compoſita. Idem ferè videtur edocere Cabeus, ut patet ex dictis; ergo ejus ſententia pythagoricorum ſententiam videtur excitare: unde quod ipſi nunc jure objicitur, prævidit ipſemet, poſtquam enim ſuam propoſuit hypotheſim, ait. *Nec tamen me putes indicare tranſmigrationem animarum pythagoricis attributam:* ſed ut planè omnium animis ſatisfaceret Doctor, utque ſe ab omni erroris pythagorici ſuſpicione liberum redderet, debebat certè demõſtrare, in quo ejus diſcreparet hypotheſis à Pythagoricorũ ſententiâ.



ARTICULUS III.

De exiſtentiâ formæ ſubſtantialis contra doctrinam Maignani.

NOtandum eſt, quòd Pater Maignanus vult formam eſſe omnium partium eſſentialium proportionem & convenientiam; ita ut forma non ſit unica pars compoſiti, ſed omnes ſimul ſumptæ. *conſtat*, inquit, 1. parte Philoſ. naturæ cap. 1. prop. 5. num. 31. *talem adæquatam ſeu completam cauſam formalem non poſſe eſſe (ut fortè vulgò exiſtimatur) unicam compoſiti partem, quæcumque illa ſit, & cujuſcumque dignitatis, ſed eſſe omnium, per modum*

mius ac simul sumptarum partium essentialium proportionem & convenientiam ; ita ut in homine sola anima rationalis non sit forma , sed corpus etiam habeat rationem formæ : idque expressè docet in sua Metaph. cap. 11. num. 6. *artes ipsę physicæ , inquit , ut anima rationalis & corpus sunt forma hominis, non sanè ut habent qualibet suum esse quod communicant homini , iam enim dixi , ex eodem Arist. posse ambas , ut c dici materiam hominis , seu ea ex quibus inexistentibus fit homo , seu pro ut habent talem rationem seu convenientiam & proportionem.*

Dicendum est, non admittendam esse sententiam P. Maignani.

Prob. P. Maignanus in suâ sententiâ docet, quòd sola anima rationalis non habet rationē formæ , sed vult quòd corpus etiam simul cum animâ sit hominis forma , & quod proinde formâ substantialis est omnium partium essentialium convenientia & proportio : atqui non admittenda illa sententia , quæ docet corpus habere rationem formæ ; ergo non est admittenda sententia P. Maignani. Prob. min. quod non informat nec actuat , neque recipitur in alio , non potest habere rationem formæ : sed corpus non informat nec actuat, neque recipitur in alio , sed tantùm informatur, actuatur & recipit ; ergo non potest habere rationem formæ.

Præterea, ex eodem Philosopho , corpus habet rationem formæ, quia anima secundum esse suum physicum non est totum esse hominis ; sed certè inde malè colligit , quòd corpus habeat rationem formæ, inde enim potest tantùm inferri , præter animam rationalem ,

esse necessariò aliam partem essentialem quæ constituit hominem in alio genere causæ, scilicet materialis.

Objicies cum P. Maignano qui citato Cabeo, istud proponit argumentum contra Peripateticos: non producitur forma substantialis in ligno quod comburitur; ergo non datur forma substantialis in alijs compositis. Consequentia non potest negari, quia ut Peripatetici probent dari formam substantialem, pro exemplo notissimo adducunt formam substantialem quam de novo produci putant in ligno quod comburitur. prob. ergo ant. combustio ligni fit per introductionem quorumdam corpusculorum, & non per productionem formæ substantialis; ergo non producitur forma substantialis in ligno quod comburitur. Prob. ant. in ligno quod comburitur, requiruntur pori ex Arist. qui lib. 4. meteororum cap. 9: textu 34. ait, *Sunt autem combustibilia, quæcumque habent meatus susceptivos ignis, & humiditatem in his, qui secundum directum meatibus, debiliorem igne*, hoc est corpora, ut sint combustibilia debent habere poros adeò latos ad suscipienda ignis corpuscula: debent etiam habere humiditatem debiliorem igné, sive quæ possit superari ab igne. Debent autem habere illam humiditatem in his meatibus qui secundum directum, hoc est in poris qui debent esse directi & in longum pertracti, ut ignis possit liberè excurrere: atqui in combustibilibus requiri poros, est combustionem fieri per introductionem corpusculorum, non verò per productionem formæ quæ poros non requireret. Sic Aristotelis authoritatem explicat Ca-

beus. Inde, inquit, ad text. 36. quæst. unica *Non puto ego dari formam ignis, qualem vulgus putat, & mecum non putat dari Aristoteles.* Eodem modo hanc Aristotelis authoritatem interpretatur P. Maignanus, inde ait cap. 15. prop. 10. *Credant ergo Peripatetici saltem magistro suo, si rationibus à me allatis fidem non præbent*; ergò combustio ligni fit per introductionem corpusculorum, non verò per productionem formæ.

Resp. neg. utrumque ant. & ad probationem neg. min. cum eruditissimo nostro, R. P. Vincentio qui in suâ discussione Peripateticâ contra Cartesium 4. parte princ. 2. parte sect. 28. num. 443. *Pori*, inquit, *exiguntur, non ut ignis illos subintret tanquam corpus aliquod, cum experientia doceat, ipsum in illis generari absque ullâ corporis intromissione, & per solam intensionem caloris: sed ut in illis poris suscipiatur humiditas aërea, hoc est humor aliquis naturæ aëreæ totum ipsum corpus perfundens, illudque hoc modo idoneum igni concipiendo efficiens.* Hanc responsionem hausit meritissimus Doctor ex Doctore Angelico qui lect. 13. in illum Arist. locū dicit, quòd *ustibilia sunt quæcumque habent poros susceptivos ignis, & humiditatem superabilem ab igne: talia autem sunt quæ habent poros plenos humiditate aëreâ bene passibili: Dico aërea, quia aër est nutrimentum ignis & propter hoc Ebenus qui inter omnia ligna est minus aëreus, & magis terrestris, quod ostendit pondus & nigredo ejus, non est ustibilis. Debet etiam talis humiditas esse passibilis, quia habentia humiditatem grossam & fortem, non sunt benè ustibilia, sicut ligna multum viridia.*



ARTICULUS IV.

De existentiâ formæ substantialis contra nonnullos recentiores.

Notandum est, recentiores nonnullos asserere formam esse congeriem quarundam qualitatum, cujusmodi sunt fluiditas & firmitas, pondus aut levitas, & aliæ hujus generis qualitates. Forma, v. g. auri,est, aiunt, quod sit flavum, aut subrubrum, quòd reliquis metallis sit gravius, quòd sit omnium maximè ductile, &c. his ita præfatis,

Dicendum est contra illos recentiores Philophos, formam substantialem non esse congeriem plurimorum accidentium.

Prob. 1. debet esse discrimen aliquod inter generationem & alterationem: atqui nullum esset discrimen inter generationem & alterationem, si forma substantialis esset complexio accidentium, quia utrumque terminaretur ad accidentia; ergo, &c.

Prob. 2. ubicumque remanet complexio accidentium, ibi non remanet forma substantialis; ergò formæ substantialis non est complexio accidentium. Prob. ant. in venerabili Eucharistiæ sacramento remanet complexio accidentium panis, & tamen non remanet forma substantialis panis; ergo ubi remanet complexio accidentium, non remanet forma substantialis.

Obj. illud est forma substantialis, quo posito ponitur compositū, & quo destructo destruitur: atqui positâ plurimorum accidentiū congerie ponitur compositum, & ipsâ destructâ destruitur; ergò forma substantialis est congeries plurimorum accidentium. Prob. min. plurimis authoritatibus Sanctorum Patrum. 1. Sanctus Aug. lib. de immortal. animæ cap. 8. *Si cera*, inquit, *ex albo nigrum colorem ducat, aliundè non minus cera est: & si ex quadrata figuram rotundam sumat & ex molli durescat.* Et sic multas persequitur mutationes, quæ ceræ naturam non tollunt, *& si*, inquit, *eorum quæ in subjecto sunt*, hoc est accidentium, *tanta commutatio fieret, ut illud quod subesse dicebatur, dici jam omninò non posset, veluti cum calore ignis cera in auras discedit & tantam mutationem patitur, ut intelligatur mutatum esse subjectum, quod cera erat, & cera jam non est.* 2. S. Basilius in Hexamerm. hom. 1. *Quòd si terræ*, inquit, *singulas quas obtinet qualitates, nigredinem, gravitatem ratiocinandō coneris auferre, ipsa in nihilum abierit.* 3. Sancti Bas. frater Greg. Niss. lib. de Opificio hominis, *Omnis*, inquit, *materia qualitatibus quibusdam prædita est, quibus si reipsa privetur, non jam amplius ratione comprehendi poterit*; ergò destructâ plurimorum accidentium congerie destruitur compositum.

Resp. dist. maj. illud est forma substantialis, quo posito ponitur compositum & quo destructo destruitur, immediatè & directè conc. mediatè & indirectè neg. sim. dist. est min. positâ quorundam accidentium congerie ponitur compositum & destructâ destruitur

mediatè & indirectè, conc. immediatè & directè neg. quia destructio compositi non sequitur directè ex destructione quorundam accidentium, sed ex destructione formæ substantialis quæ est entitas distincta à congerie accidentium: cera, v. g. non destruitur precisè ex eo quod destruantur aliqua accidētia, sed quia destructis accidentibus destruitur forma substantialis, & destructâ formâ substantiali destruitur cera; ita ut ex destructione accidentium sequitur destructio formæ substantialis, & ex destructione formæ substantialis sequitur destructio ceræ.

Resp. 2. neg. min. quia sublatis divinitùs omnibus accidentibus, non destruitur tamen compositum; quia semper remanent forma & materia unitæ. Illæ autem authoritates debent tantùm intelligi de accidentibus naturaliter destructis.



ARTICULUS V.

De definitione formæ substantialis quæ admittitur à peripateticis.

Dicendum est, formam substantialem quæ admittitur à peripateticis, definiri substantiam simplicem, incompletam, componentem unum per se cum materiâ, cujus est actus & ultima perfectio.

Prob. & explicatur definitio. 1. Dicitur

ıbſtantia ſimplex, ut diſtinguatur à compoto. 2. Dicitur ſubſtantia incompleta, quia ſt pars compoſiti, & per hoc diſtinguitur à ɔrmis angelorum quæ ſunt ſubſtantiæ comletæ. 3. Dicitur componere unum per ſe um materiâ, ut diſtinguatur à formis accientalibus quę faciunt tantùm unum per accіens. 4. Dicitur actus materiæ, quia facit lam eſſe actu. Ultimò denique dicitur perectio mâteriæ, quia illam perficit & comlet illius potentialitatem.



ARTICULUS VI.

Utrum formæ ſuſtantiales educantur de potentiâ materiæ.

NOtandum eſt. 1. quòd Educi eſt correlativum ad contineri, unde eodem modo forma dicitur educi; quo continebatur: duplici autem modo dicitur aliquid contineri in alio, ſcilicet actualiter & in potentiâ. Illud actualiter continetur, quod in ſuâ entitate præhabetur tanquam de facto exiſtens in aliquo, ſic pecunia continetur in arcâ. Illud autem dicitur contineri in potentiâ, quod cum non ſit actualiter in alio, poteſt tamen fieri ex ipſo, ſic omnes figurę artificiales continentur in cera. Conſtat autem quòd formæ ſubſtantiales materiales non continentur actu in materiâ, ſed tantùm in potentiâ: unde educi de potentia materiæ, eſt quaſi emergere de po-

tentialitate materiæ, & fieri actu in materiâ in quâ erat in potentiâ; Vel educi de potentiâ materiæ, est fieri cum dependentia à materiâ; ita ut dependeat ab illa in fieri, in esse & conservari. Ideò ad veram eductionem duo requiruntur. 1. Ut forma quæ educitur, dependeat à materiâ in fieri, in esse & conservari; ita ut ad ipsius productionem, & conservationem materia passivè & subjectivè concurrat. 2. Ut vi illius actionis quâ forma producitur, materia transmutetur.

Notandum est 2. quòd ut materia transmutetur, duo requiruntur. 1. Ut materia fuerit sub privatione formæ. 2. Ut forma uniatur materiæ per eandem actionem per quam producitur.

Dicendum est. 1. Formas substantiales materiales educi de potentiâ materiæ.

Prob. 1. illud educitur de potentiâ materiæ, quod dependet à materiâ in fieri, in esse & conservari: atqui formæ substantiales dependent à materiâ in fieri, in esse & conservari; ergo educuntur de potentiâ materiæ.

Prob. 2. formæ materiales transmutant materiam, quia uniuntur materiæ per eandem actionem per quam perducuntur: ergo educuntur de potentiâ materiæ.

Obj. formæ substantiales creantur; ergo non educuntur de potentiâ materiæ. Prob. ant. formæ substantiales materiales dicuntur creaturæ; ergo creantur.

Resp. neg. ant. ad cujus. Prob. neg. ult. conseq. quia ut aliquid dicatur creatura, non est necesse ut immediatè creetur, alioquin quæ essent producta per generationem, non essent

essent creaturæ; sed sufficit quòd non possit produci nisi ex aliquo præsupposito subjecto creato: ita formæ substantiales dicuntur creaturæ, non quòd immediatè creantur, sed quòd recipiuntur in subjecto creato, scilicèt materiâ.



ARTICULUS VII.

Utrùm anima rationalis educatur de potentia materiæ.

Dicendum est, animam rationalem non educi de potentiâ materiæ.

Prob. ut aliquid educatur de potentiâ materiæ, debet contineri in materiâ, tanquàm in causâ materiali concurrente ad illius productionem, & ex vi productionis debet transmutari materia: atqui illa duo non reperiuntur in productione animæ rationalis; ergò anima rationalis non educitur de potentiâ materiæ. Prob. min. quoad omnes partes. 1. Illud non continetur in materiâ tanquam in causâ materiali concurrente ad productionem, quod non dependet à materiâ in esse: atqui anima rationalis non dependet à materiâ in esse, alioquin corrupto composito corrumperetur anima, quod est hæreticum; ergò anima rationalis non continetur in materiâ tanquam in causâ concurrente ad illius productionem. 2. Materia non transmutatur ex vi actionis per quam producitur ani-

ma, si anima rationalis non uniatur materiæ per eandem actionem per quam producitur: atqui anima rationalis non unitur materiæ per eandem actionem per quam producitur; producitur enim per creationem procedentem à Deo, & unitur materiæ per generationem procedentem ab agente naturali; ergò materia non transmutatur ex vi actionis per quam producitur anima rationalis.

Obj. 1. anima rationalis continetur in potentiâ materiæ; ergò anima rationalis educitur de potentiâ materiæ. Prob. ant. si anima rationalis non contineretur in potentiâ naturali, sequeretur quòd generatio hominis non esset naturalis: atqui non potest dici, quòd generatio hominis non sit naturalis; ergo anima rationalis continetur in potentiâ naturali materiæ. Prob. sequela maj. illa generatio non est naturalis, cui non respondet potentia passiva naturalis, nec potentia activa, nec effectus naturalis: atqui generationi hominis non corresponderet potentia passiva naturalis; quia illa denegatur materiæ, neque potentia activa; quia hæc est agens increatum, neque effectus naturalis; cum sit effectus super naturalis, utpotè excedens vires totius naturæ creatæ; ergò illa generatio non esset naturalis.

Resp. neg. ant. ad cujus prob. neg. maj. & min. quia ut generatio dicatur naturalis sufficit ut forma uniatur ab agente naturali. Hoc autem contingit in generatione hominis; agẽs enim naturale, nempè homo unit animam cum materia mediantibus dispositionibus quas introducit in materiâ: unde dupliciter

peccat argumentum. 1. Quòd illa duo confundit, materiam continere in potentiâ naturali animam rationalem, & materiam habere potentiam naturalem ad animam rationalem, quę duo inter se differunt. Verum enim est quod materia non continet in potentiâ naturali animam rationalem, quia non habet vim causandi illam, & tamen materia habet potentiam naturalem ad animam rationalem recipiendam. 2. Peccat argumentum in eo quòd generationem hominis confundat cum productione animæ rationalis; sunt tamen duæ actiones diversæ: una est creatio terminata ad animam à solo Deo procedens; altera est unitio ejusdem animæ cum materiâ dispositâ virtute agentis naturalis, & hæc est generatio quæ est naturalis: tum ex parte principii activi, quod est ipsum agens naturale producens in materiâ dispositiones; tum ex parte principii passivi quod est ipsa naturalis potentia quam habet materia ad recipiendam animam rationalem; tum ex parte effectus qui est ipsum compositum humanum; tum denique ex parte ipsius animæ in se spectatæ, quæ est actus connaturalis respectu potentiæ passivæ materiæ.

Obj. 2. Anima rationalis dependet à materiâ in esse; ergo educitur de potentiâ materiæ. prob. ant. quod dependet à materiâ in operari, dependet à materiâ in esse, quia operari sequitur ad esse: atqui anima rationalis, saltem in quantum est sensitiva & vegetativa dependet à materiâ in operari; ergo dependet à materiâ in esse.

Resp. neg. antec. ad cujus prob. dist. maj.

quod dependet à materiâ in operari secundum majorem & principalem operationem, dependet à materiâ in esse, con. quod dependet à materiâ in operari secundum operationem minus principalem, dependet à materiâ in esse, neg. similiter distinguenda est min. anima rationalis in quantum est vegetativa & sensitiva, dependet à materiâ in operari secundum operationem minus principalem, con. secundum operationem magis principalem, neg. quia ut anima rationalis dicatur dependere à materiâ in esse, non tantùm sufficit ut aliqua operatio dependeat à materiâ, sed requiritur ut principalis animæ operatio à materiâ dependeat.

Obj. 3. Educi, est fieri ex præsupposito subjecto: atqui anima rationalis fit ex præsupposito subjecto; nam priusquam anima rationalis uniatur materiæ, præsupponit illam existentem sub alterâ formâ; ergò anima rationalis educitur de potentiâ materiæ.

Resp. dist. maj. educi, est fieri ex præsupposito subjecto, & dependenter ab illo, con. & independenter ab illo, neg. similiter distinguenda est min. anima rationalis fit ex præsupposito subjecto, & independenter ab illo, con. & dependenter ab illo, neg. quia licet anima rationalis præsupponat materiam, non tamen ab illâ dependet: siquidem non recipit esse à materiâ; sed è contra tribuit esse materiæ.

Obj. 4. Agens naturale tanquam causa instrumentalis educit formas accidentales supernaturales de potentiâ subjecti; ergò à pari agens naturale tanquam causa instrumentalis potest educere animam rationalem de potentiâ materiæ.

Resp. neg. conseq. & parit. ratio dispatitatis est ; quia cum forma supernaturalis sit accidens dependenter à subjecto, potest fieri dependenter ab illo, & ita verè educitur de potentia subjecti : cum autem anima rationalis sit forma per se subsistens, non potest fieri dependenter à materiâ, nec proinde educi.

Obj. ultimò: anima rationalis non producitur ut existens ut quod ; ergo non creatur. prob. antec. Illa forma quæ producitur unita materiæ & exercens rationem formę, non est existens ut quod : atqui anima rationalis producitur unita materiæ & exercet rationem formæ ; ergo non est existens ut quod.

Resp. neg. antec. ad cujus probationem dist. maj. forma quæ producitur unita materiæ, & quę unitur per eandem actionem per quam producitur, non creatur, con. quæ producitur unita, & non unitur per eandem actionem per quam producitur, non creatur, neg. quia in hoc conveniunt forma substantialis materialis & anima rationalis, quòd sicut forma substantialis materialis producitur ut unita materiæ, ita & anima rationalis ; sed in hoc differunt, quòd non uniuntur materiæ eodem modo : forma enim substantialis materialis unitur per eandem actionem per quam producitur, & ita reperitur vera eductio cum vi actionis productivæ transmutatur materia, & anima rationalis non unitur per eandem actionem per quam producitur: producitur enim per actionem Dei creativam ; & unitur per unitionem quæ est actio procedens à generante.



ARTICULUS VIII.

Utrùm formæ Cœlorum & Elementorum fuerint eductæ de potentiâ materiæ.

DIcendum est, formas Cœlorum & Elementorum in primâ sui productione non fuisse eductas de potentiâ materiæ.

Prob. ut forma aliqua dicatur educi de potentiâ materiæ, requiritur ut per illius formæ productionem materia transmutetur : atqui formæ Cœlorum & Elementorum non fuerunt productæ cum materiæ transmutatione in primâ sui productione ; ergo non fuerunt eductæ de potentiâ materiæ. Prob. min. materia Cœlorum & Elementorum nusquam fuit sub privatione formæ; quia non potuit produci sine forma ; ergo formæ Cœlorum & Elementorum non fuerunt productę cum transmutatione materiæ; & proinde licet formæ Cœlorum & Elementorum dependeant à materiâ in fieri, in esse & in conservari, non tamen fuerunt eductæ de potentia materiæ : quia per illarum productionem non fuit transmutata materia.

Obj. 1. Formæ elementorum fuerunt productæ per actionem distinctam ab illâ per quam fuit producta materia : ergo formæ elementorum eductæ fuerunt de potentiâ materiæ. Prob. ant. Actio quâ materia fuit producta, huc usque perseverat, cum adhuc per ean-

dem actionem conservetur : conservatio enim est continuata productio, actio verò per quam productæ fuerunt formæ, non perseverat ; ergò materia & formæ elementorum fuerunt productæ per diversas actiones.

Resp. neg. ant. ad cujus prob. disting. aliud ant. actio quâ producta fuit materia huc usque perseverat, perseverante composito, con. destructo composito, neg. quia sicuti materia non potest produci nisi per productionem compositi : ita non potest conservari nisi ad conservationem compositi : unde fit ut cessante uno composito, cessat actio conservativa, & sicut in eodem instanti quo desinit conservari per actionem conservativam compositi præexistentis, ita incipit conservari per actionem conservativam compositi subsequentis, quæ actio est secundaria productio.

Inst. atqui materia non conservatur per existentiam compositi : ergo nulla solutio. Prob. subs. Conservari, est persistere in esse : atqui materia non persistit in esse, sed de novo incipit esse, quia novam recipit existentiam à novo composito: ergò materia non conservatur per existentiam compositi.

Resp. neg. subs. ad cujus proba. disting. maj. Conservari est persistere in esse, vel essentiæ vel existentiæ, con. in esse existentiæ tantùm neg. quia ut res dicatur conservari, sufficit ut entitas essentiæ persistat sub existentiis diversorum compositorum, quod materiæ primæ convenit specialiter, eo quòd sit subjectum commune formarum.

Obj. 2. Ideo formæ Cœlorum non fuerunt eductæ de potentiâ materiæ, quia materia

non præcessit illas formas prioritate aliquâ temporis; atqui non requiritur illa prioritas temporis; ergò formæ Cœlorum fuerunt eductæ de potentiâ materiæ. Prob. min. prioritas naturæ sufficit; ergò non requiritur prioritas temporis. Prob. ant. Prioritas naturæ sufficit in causâ efficiente, ut causa efficienter producat suum effectum; ergò eadem prioritas sufficit in causâ materiali, ut materialiter producat suum effectum.

Resp. neg. min. & ant. & ad proba. disting. ultimam conseq. prioritas naturæ sufficit ut causa materialis sit præcisè causa sui effectus, con. ut effectus dicatur educi neg. quia ad veram rationem causæ sufficit ut effectus dependeat à causâ; talis autem dependentia salvatur per prioritatem naturæ quæ in hoc consistit, quòd illud quod est posterius dicatur dependere ab illo quod est prius. Ita materia formarum cœlestium potest dici causa materialis illarum formarum, quia fuit prior illis saltem prioritate naturæ; & tamen illæ formę non eductæ fuerunt de potentiâ illius materiæ, quia ad veram eductionem non tantùm requiritur dependentia, sed etiam vera & realis mutatio in materiâ: talis autem vera & realis mutatio non potest fieri, nisi materia fuerit sub privatione formæ per aliquod instans reale, & ita ad veram eductionem non sufficit prioritas naturæ, sed requiritur prioritas temporis.

Inst. atqui ad veram eductionem sufficit illa prioritas naturæ & illa dependentia; ergò nulla solutio. Prob. subs. per illam prioritatem eductio constituitur vera eductio; ergò sufficit illa prioritas naturæ. Prob. ant. per illud

eductio constituitur eductio, per quod eductio differt à creatione, quia nomine eductionis intelligitur productio distincta à creatione: atqui eductio differt à creatione per talem dependentiam; eductio enim præsupponit materiam, creatio verò non præsupponit; ergò per illam prioritatem & dependentiam eductio constituitur vera eductio.

Resp. neg. ant. & ad proba. disting. min. Eductio differt à creatione per dependentiam connotantem prioritatem temporis, con. prioritatem naturæ tantùm neg. quia cum in eductione non tantùm requiratur dependentia, sed etiam vera & realis immutatio materiæ; & ut talis realis immutatio fiat, requiritur ut materia per aliquod instans reale fuerit sub privatione, ita non sufficit prioritas naturæ, sed requiritur necessariò prioritas temporis, & proinde debet esse dependentia connotans talem prioritatem temporis.



ARTICULUS IX.

CONTRA CARTESIUM ET Reliquos.

Utrùm dentur accidentia quæ sint entitates reales absolutæ, & distinctæ realiter à subjecto.

Notandum est, Cartesium cum suis non solùm negare formas substantiales, sed etiam accidentales, quas Peripatetici vocant

adæquata sit divisio entis in substantiam & accidens. ex Aristotele.

Obj. 1. debent tantùm dari illa de quibus formari potest clara & distincta idea : atqui de accidentibus nulla potest formari idea clara & distincta ; ergo non debent admitti accidentia.

Resp. 1. neg. maj. quia, ut ait author eruditissimus Philosophiæ veteris & novæ, in Regiâ Burgundiæ pertractatæ, tractatu primo dispur. 3. quæst. 3. concl. 2. *Nos rerum omnium quas existere certū est, claras distinctasque ideas non habemus, neque enim quæ in nobis ipsis aguntur distinctè percipimus.* Idem docet Duhamel Philosophus elegantissimus lib. 1. de corporum affectionibus cap. 1. *Quæro,* inquit, *an rerum omnium quas non modo esse possibiles sed etiam actu existere compertum est, distinctas & dilucidas notiones habeamus, multa esse novimus quorum nulla est notio explicata, aut definitio accurata. Noli foras exire, teipsum, tuum animum contemplare. Nihil tibi notius quam te animo cogitare, cedo an claram animi tui, aut cogitationis habeas imaginem.*

Resp. 2. transeat major & neg. min. quia accidentia clarè à nobis percipiuntur.

Obj. 2. illa accidentia essent entia absoluta, & non essent : essent, ut supponitur, & non essent ; quia illa entia non sunt absoluta sed relativa, quæ dicunt ordinem ad aliud : atqui illa accidentia dicerent ordinem ad aliud, nempè ad subjectum à quo dependerent in existendo; ergo non essent entia absoluta, sed relativa.

Resp. dist. istam propositionem : illa entia

non sunt absoluta sed relativa, quæ dicunt ordinem ad aliud tanquam ad terminum, con. tanquã ad subjectum neg. quia dantur accidẽtia, aliqua absoluta & aliqua relativa. Accidentia absoluta dicunt quidem ordinem ad subjectum in quo postulant inhærere, sed ille respectus & dependentia non impedit quin illa entia sint semper absoluta. Accidentia verò relativa non tantùm dependent à subjecto cui inhærent, sed etiam à termino quem respiciunt; quia illo sublato pereunt illa accidentia & per illum respectum ad terminum constituuntur entia relativa.

Obj. 3. & ultimò: illa accidentia essent substantia; ergo est contradictio. Prob. ant. quidquid est reale est substantia: sed illa accidentia essent aliquid reale; ergo essent substantia. Prob. maj. qnidquid est reale, potest naturaliter vel saltem supernaturaliter sine alio existere: at quidquid potest sine alio etiam supernaturaliter existere, est substantia; ergo quidquid est reale est substantia.

Resp. neg. ant. & maj. & ad probationem dist. ulimam min. quidquid potest sine alio existere tam actualiter quam aptitudinaliter est substantia, conc. quidquid potest sine alio existere actualiter, & tamen dicit aptitudinem ad subjectum est substantia, neg. quia illud discrimen intercedit inter substantiam & accidens, quòd substantia non dependet à subjecto neque actualiter neque aptitudinaliter; accidens vero dependet semper aptitudinaliter, hoc est dicit semper ordinem ad subjectum: ita ut inhærentia aptitudinalis sit ratio formalis constitutiva accidentis.

ARTICULUS



ARTICULUS X.

Utrùm gratia & habitus supernaturales sint accidentia distincta realiter à subjectis.

DIcendum est, gratiam & habitus supernaturales esse accidentia distincta realiter ab animâ.

Prob. de fide est juxta Concilium Tridentinum sessione 6. Canon. 11. gratiam justificantem esse aliquid inhærens in anima justi: atqui gratiam justificantem esse aliquid inhærens in anima justi, est esse formam accidentalem; ergò gratia justificans est forma accidentalis distincta realiter ab animâ. Similiter gratia actualis non est ipsa anima ut mota; ergò est aliquid distinctum ab animâ. Probatur ant. si gratia nihil aliud esset quàm ipsa anima ut mota, posset etiam dici quod ipsa anima rationalis nihil aliud esset quàm ipsum corpus ut motum: atqui illud non potest dici; ergò nec aliud. Probatur sequela maj. sicut se habet anima ad corpus, ita se habet gratia ad animam, nam sicut anima est vita corporis, ita gratia est vita animæ, ut docet D. August. ergò cum anima non sit corpus ut motum, gratia non potest esse anima ut mota. Præterea omnes habitus supernaturales, ut fides, spes & charitas sunt entia in alio; ergo sunt accidentia realia positiva distincta realiter à subjecto in quo sunt.

Obj. 1. gratia sanctificans consistit in solâ Dei amicitiâ; ergò non est forma accidentalis distincta ab animâ.

Resp. neg. ant. quod est hæreticum: hæc enim propositio continet sententiam Lutheri & Calvini & quorumdam aliorum hæreticorum, quæ damnata fuit à Concilio Tridentino. *Si quis dixerit*, inquit, *sess. 6. Can.* 11. *hominem justificari, vel solâ imputatione justitiæ Christi, vel solâ peccatorum remissione, seclusâ gratia & charitate quæ in cordibus eorum per Spiritum sanctum diffundatur atque in illis inhæreat; aut eam gratiam quâ justificamur, esse tantum favorem Dei, anathema sit.* Quæ verba exponens Cathechismus Romanus jussu Pij quinti editus tractatu de Sacramento Baptismi, sic ait. *Est autem gratia, quemadmodum Tridentina Synodus ab omnibus credendum sub pœna anathematis decrevit, divina qualitas in anima inhærens & velut splendor quidam & lux quæ animarum nostrarum maculas omnes dele ipsasque animas pulchriores & splendidiores reddit.*

Obj. 2. esse in gratiâ, est esse dilectum à Deo: esd esse dilectum à Deo nō importat aliquid intrinsecum distinctum realiter ab animâ; ergo essein gratia non importat aliquid distinctum ab animâ. Prob. min. si esse dilectum à Deo importaret aliquid intrinsecum, sequeretur quòd quidquid includeret specialem Dei dilectionem, importaret aliquid intrinsecum in animâ: sed quidquid includit specialem Dei dilectionem non importat aliquid intrinsecum in animâ; ergò esse dilectum à Deo non importat aliquid intrinse-

cum. Prob. min. prædeſtinatio includit ſpecialem Dei dilectionem : ſed prædeſtinatio non includit & importat aliquid intrinſecum in animâ : poteſt enim fieri quòd prædeſtinatus non habet aliquando gratiam, cum ſit in peccato mortali; ergò quod includit ſpecialem Dei dilectionem, non importat aliquid intrinſecum in animâ.

Reſp. neg. duas minores propoſitiones ad quarum probationem diſt. maj. prædeſtinatio includit ſpecialem Dei dilectionem pro aliquo tempore, conc. pro omni tempore, neg. quia Deus aliquando ſecundum præſentem juſtitiam odio habet prædeſtinatum exiſtentem in peccato mortali vel in infidelitate.

Obj. 3. Concilium loquens de gratiâ, non illam vocat formam accidentalem; ergò non poteſt probari ex ipſius gratiæ exiſtentiâ, dari formas accidentales.

Reſp. diſt. ant. non vocat formam accidentalem materialiter & expreſsè & in terminis, con. æquivalenter, neg. & ratio eſt cum ſacroſanctum Concilium gratiam vocat aliquid inhærens in animâ, idem eſt ac ſi illam vocaret formam accidentalem; & proinde poteſt dici quòd quodammodo de fide eſt gratiam eſſe formam accidentalem; quia ſicuti de fide eſt eſſentiam panis & vini non manere cum corpore Chriſti in ſacro Euchariſtiæ Sacramento, licet Concilia nuſquàm uſa fuerint illo nomine eſſentiæ, quia in hoc caſu eſſentia panis & vini idem eſt ac ſubſtantia panis & vini. Similiter licet Concilia expreſsè non dixerint gratiam eſſe formam accidenta-

lem, tamen dixerunt gratiam esse aliquid inhærens in animâ; & proinde docuerunt etiam gratiam esse formam accidentalem.

Obj. 4. & ultimò: habitus supernaturales sunt tantùm modi spirituales in animâ existentes; ergò non sunt accidentalia realia distincta ab animâ.

Resp. neg. ant. & ratio est quia si illi habitus supernaturales essent tantum modi, vel illi modi essent aliquid reale vel non; non potest dici quòd non sint aliquid reale, alioquin Deus infundens illos habitus supernaturales, infunderet aliquid non reale: non potest etiam dici quòd sint aliquid reale, quia quidquid est reale, juxta ipsa Cartesii principia, potest existere sine subjecto: atqui illi modi non possunt existere sine subjecto modificato, quia illi modi nihil aliud sunt quàm subjectum modificatum; ergò non sunt aliquid reale.

His rationibus convicti aliqui Cartesiani fatentur dari formas accidentales supernaturales; sed dicunt se non posse concipere, quòd dentur formæ accidentales naturales quæ possint produci ab agente naturali; quia est impossibile quòd accidentia possint creari ab agente naturali, sed falsò supponunt illi accidentia creari, cum omnia accidentia tam naturalia quàm supernaturalia de potentiâ subjecti educantur, ut probabitur. Sufficit autem quòd quidam Cartesiani fateantur gratiam sanctificantem esse aliquam entitatem distinctam ab animâ, ut possimus concludere falsum esse quod dicit illorum Patriarcha, nihil scilicet esse in mundo præter substantiam,



ARTICULUS XI.

Utrùm species Eucharisticæ sint accidentia realia, vel solùm aliqua entitas modalis juxta opinionem Cartesii.

NOtandum est 1. quòd omnes recentiores Philosophi negantes formas accidentales, communi consensu asserunt species Eucharisticas non esse accidenta realia. Quid autem sint species Eucharisticæ, non est una omnium sententia; imò in diversas distracti partes, diversimodè illas explicant, hîc tantùm reiicietur sententia Cartesii.

Notandum est 2. quòd Cartesius per speciem panis intelligit illam superficiem, quæ media est inter singulas ejus particulas & corpora ipsas ambientia. *Notandum*, inquit, in responsionibus ad quartas objectiones, *per superficiem panis & vini, alteriusve corporis, non hic intelligi partem ullam substantiæ, nec quidem quantitatis ejusdem corporis, nec etiam partem corporum circumjacentium, sed tantùmmodo terminum illum qui medius esse concipitur inter singulas ejus particulas & corpora ipsas ambientia, quique planè nullam habet entitatem nisi modalem.*

Dicendum est 1. sententiam Cartesii negantis species Eucharisticas esse accidentia realia, esse rejiciendam.

Prob. hæc Cartesii sententia est eadem ac

sententia Joannis Vviclefi: ergo est rejicienda. Prob. ant. in hoc sita erat Vviclefi sententia, quòd assereret accidentia panis non manere sine subjecto in Eucharistiæ sacramento, quæ sententia damnata fuit à Concilio generali Constantiensi: atqui sententia Cartesii docet quòd accidentia non possunt manere sine subjecto, quia essent substantia: docet enim Cartesius quòd quidquid est reale, potest separatum ab omni alio subjecto existere: quidquid autem potest ita separatim existere, est substantia & non accidens; ergò sententia Cartesij est eadem ac sententia Vviclefi. Præterea, ex Concilio Tridentino, in Eucharistiæ Sacramento est vera transsubstātiatio, sive cōversio unius substantiæ in aliam: de ratione autē transubstantiationis est, ut remaneat aliquid ex eo quod convertitur; debet ergo remanere aliquid quòd antea erat in parte; non potest remanere aliquid substantiæ: ergò debet remanere aliquid accidentale, & proinde species Eucharisticæ sunt accidentia realia.

Dicendum est 2. Contra Cartesium, species Eucharisticas non esse superficiem aliquam quæ habeat entitatem modalem.

Prob. Illa entitas modalis vel esset separata à subjecto vel non; si esset separata à subjecto, esset substantia, quia, ex ipso Cartesio, quidquid existit sine subjecto vel naturaliter vel divinitus, est substantia; si verò illa entitas modalis esset in subjecto, remaneret panis in Eucharistiâ, quod est Lutheranum.

Obj. 1. Concilium non damnavit Hæretiuū Vviclefum, ex eo quòd dixerit accidētia non

manere ſine ſubjecto, ſed quia docuit, ut Lutherus, ſubſtantiam panis & vini manere ſimul cum corpore Chriſti in Euchariſtiâ; ideòque dicebat accidentia non exiſtere ſine ſubjecto, quia exiſtebant in pane & vino; ergo ſententia Carteſii non eſt eadem cum ſententiâ Viclefi.

Reſp. neg. ant. Inde enim ſequeretur, quòd ſecunda propoſitio Viclefi aſſerentis accidentia non ſupereſſe in Sacro-Sanctâ Euchariſtiâ ſine ſubjecto, eſſet eadem cum primâ illius propoſitione quâ ſomniat panem remanere in Sacramento altaris: id autem non poteſt eſſe. 1. Quia in primâ propoſitione Vviclef, ut jam diximus, docet ſubſtantiam panis remanere in Sacramento Altaris. In ſecundâ verò propoſitione dicit accidentia non manere in Sacramento Euchariſtiæ ſine ſubjecto: unde iſta ſecunda propoſitio eſt probatio primæ; ita ut eò quòd accidentia panis nequeant ſine ſubjecto exiſtere juxta mentem Vviclefi, infertur panem manere in hoc Sacramento. 2. Si ſecunda propoſitio eſſet eadem cum primâ, ſequeretur quòd tantùm eſſent 44. propoſitiones Viclefi damnatæ à Concilio: atqui ab eodem Concilio numerantur 45. Propoſitiones Viclefi; ergò ſecunda propoſitio non eſt eadem cum primâ.

Obj. 2. Concilium non determinavit accidentia realia exiſtere ſine ſubjecto in Sacramento Euchariſtiæ, quia illa quæſtio nullius eſt momenti, & purè Philoſophica, & proinde non ſpectat ad Eccleſiam de illâ re aliquid definire: ergo ſententia Carteſii non fuit damnata à Concilio.

Resp. neg. ant. Quia illa quęstio non est purè Philosophica, sed maximè pertinet ad Theologiam, utpotè spectans ad Eucharistiæ mysterium: Ecclesiæ igitur est quid in eâ verum sit decernere, & quid falsum determinare: & ita Concilium damnavit Cartesii sententiam, ubi propositionem Viclefi damnavit.

Obj. 3. Concilium Tridentinum per species Eucharisticas non intelligit accidentia: numquam enim usurpavit hoc nomen accidentium; ergò species Eucharisticæ non sunt accidentia realia.

Resp. neg. ant. Quia licet Concilium Tridentinum nunquam usurpaverit nomen accidentium, non inde inferendum est quòd illæ species Eucharisticæ non sint accidentia; alia enim Concilia tum generalia, tum particularia adhibuerunt hoc nomen aliquando: Siquidem Concilium Constantiense damnat illam propositionem Vviclefi, quæ constabat his terminis: *accidentia panis non manent sine subjecto in eodem Sacramento.* Similiter & Concilium Coloniense Titulo de Administratione Sacramentorum cap. 15. disertè ait: *Quid enim panis & vini species aliud sunt post consecrationem, quàm species Sacramentales & accidentia sine subjecto.*



ARTICULUS XII.

Utrùm Species Eucharisticæ sint accidentia realia vel substantiolæ, juxta nonnullos Cartesianos.

NOtandum est, quòd nonnulli Cartesiani intelligunt per species Eucharisticas, substantiolas seu particulas aëris, furfuris, pulveris, & alterius cujuscumque materiæ quæ ante erant inclusæ intra poros panis & vini.

Dicendum est species Eucharisticas non esse substantiolas seu particulas aëris, furfuris, &c. quæ antea erant inclusæ intra poros panis & vini.

Prob. Si per species Eucharisticas intelligerentur substantiolæ sive corpuscula, ista propositio, *Hoc est Corpus meum*, non esset vera: atqui Hæreticum est dicere quòd illa propositio non est vera; ergo illativè saltem Hæreticum est dicere quòd species Eucharisticæ sint substantiolæ. Prob. maj. Ut illa propositio, quæ est forma consecrationis sit vera, debet identificare cum Corpore Christi, sive convertere in Corpus Christi totam substantiam quæ importatur per illud pronomen *Hoc*: atqui si species Eucharisticæ essent substantiolæ, illa propositio, *Hoc est Corpus meum*, non converteret in Corpus Christi totam substantiam quæ importatur per illud pronomen *Hoc*; ergo non esset vera. Prob. min. Illæ substan-

tiolæ importarentur per illud pronomen *Hoc*, & tamen non convertuntur in Corpus Christi (ut ipsi fatentur); ergo illa propositio non converteret in Corpus Christi totam substantiam quæ importatur per illud pronomen *Hoc.* Prob. anr. Tota substantia, quæ est intra species Eucharisticas, importatur per illud pronomen *Hoc*: Sed illæ substantiolæ sunt intra species Eucharisticas; ergo illæ substantiolæ importantur per illud pronomen *Hoc.*

Respondent defensores hujus opinionis, quòd tota illa tantùm substantia, quæ potest esse apta materia ad consecrationem, importatur per illud pronomen *Hoc*, & cum illæ substantiolæ non sint apta materia ad consecrationem, non importantur per illud pronomen *Hoc*: & ita licet illæ substantiolæ non convertantur in Corpus Christi, non inde sequitur, quòd illa propositio, *Hoc est Corpus meum*, non sit vera.

Sed contra: illæ substantiolæ panis sunt materia apta ad consecrationem: ergo importantur per illud pronomen *Hoc*, & proinde deberent converti in Corpus Christi. Prob. anr. Vel illæ substantiolæ sunt aliquid panis, vel non: si sint aliquid panis: ergo sunt apta materia ad consecrationem; si vero non sint aliquid panis, duo sequuntur. 1. Quòd non possunt repræsentare panem. 2. Quòd nihil panis remaneret, quod est contra naturam transsubstantiationis, quæ exigit ut remaneat aliquid accidentale panis.

Obj. Ubi est odor, ibi debent esse corpuscula: atqui intra species Eucharisticas est odor; ergo intra species Eucharisticas sunt

corpuscula. Prob. maj. ut odor, supernaturali etiam modo existens percipiatur, necessaria est attractio aëris & respiratio: atqui illa attractionis & respirationis necessitas denotat quòd ubi est odor, ibi sunt corpuscula; ergo ubi est odor, ibi sunt corpuscula.

Resp. neg. maj. ad cujus proba. neg. min. quia verum quidem est, quòd necessaria est respiratio ad percipiendum odorem; illa tamen respirationis necessitas non denotat quòd ubi est odor, ibi sint semper corpuscula, sed quòd ideò tantùm necessaria est respiratio; quia (ut docent plurimi Philosophi) duæ sunt pelliculæ quæ cooperiunt carunculas mamillares, sicut palpebræ cooperiunt oculos: ideò autem admittuntur illæ pelliculæ, eò quòd Aristoteles lib. 2. de Animâ cap. 9. textu centesimo, doceat dari quoddam operculum & velamen ante organum odoratus in animalibus respirantibus; in animalibus verò non respirantibus non reperitur, sicut nec palpebræ in iis quæ duros oculos habent. Ut autem species odorum ad odoratus organum trajiciantur, debet tale operculum per respirationem elevari, & odoribus aditum pandere.

Inst. atqui necessaria non est respiratio, ut odorum species trajiciantur ad odoratus organum; ergo nulla responsio. Prob. subs. Species intentionales per se feruntur in omnes alios sensus absque ullâ attractione; v.g. Species visibiles feruntur ad potentiam visivam, quin ipsa potentia agat & ipsas attrahat; ergo species etiam intentionales odorum debent ferri ad odoratus organum absque ullâ attra-

ctione & respiratione, & proinde illa respirationis necessitas denotat ibi esse corpuscula, ubi est odor.

Resp. neg. subs. ad cujus prob. neg. cons. & parit. disparitas autem provenit ex duplici capite, & ex parte sensuum, & ex parte specierum. 1. Ex parte sensuum qui non sunt eodem modo dispositi: si quidem ante organa aliorum sensuum non est operculum quod debeat elevari, ut aditus pateat speciebus intentionalibus; & illud operculum reperitur ante organum odoratus (ut jam dictum fuit.) 2. Illa disparitas provenit ex parte specierum, quia species visibiles sunt minus materiales, & ita in instanti ad oculos accedunt & ad potentiam visivam perveniunt; sed odorum species quæ sunt magis materiales, non possunt trajicere illud operculum quod est ante odoratûs organum, & quod proinde debet aperiri per respirationem & attractionem aëris.



ARTICULUS XIII.

Utrùm species Eucharisticæ sint accidentia realia vel sensationes nostræ, ut volunt alii Recentiores.

NOtandum est, quòd juxta sententiam quorumdam recentiorum, species Eucharisticæ nihil aliud sunt quàm sensationes nostræ; v. g. gustatio & visio quas Deus conservat in nobis, vel de novo producit per miraculum

raculum absentibus ipsis subjectis ; ita ut Deus efficiat ut sit in nobis gustatio & visio panis, licet non sit substantia panis & vini.

Dicendum est, species Eucharisticas non esse sensationes nostras.

Prob. duplici ratione. 1. Ecclesia quæ docet remanere species Eucharisticas, intelligit remanere illas species quæ ante consecrationem erant in pane tanquam in subjecto : atqui sensationes nostræ non erant in pane tanquam in subjecto ; ergo Ecclesia per species Eucharisticas non intelligit sensationes nostras.

2. Quia species Eucharisticæ sunt in hostiis consecratis & in pixide reservatis, etiam si nemo illas videat & nemo tangat ; ergo per species Eucharisticas non intelliguntur sensationes nostræ. Prob. ant. Si species non essent in ipsis hostiis in pixide reservatis, sequeretur quòd in ipsis nihil remansisset illius quod conversum fuerat : atqui debet remanere aliquid illius quod convertitur, alioquin non esset propriè conversio, sed esset substitutio unius substantiæ loco alterius ; ergo per illas species Eucharisticas non intelliguntur sensationes nostræ.



ARTICULUS XIV.

CONTRA MAIGNANUM.

Utrùm species Eucharisticæ sint meræ apparentiæ.

NOtandum est, Maignanum docere species panis esse tantùm apparentias quæ nihil quidem sunt reale panis, sed, ut ait cap. 33. num. 33. *Sunt realiter ac physicè Christi Domini actio objectiva, id est impressiva speciei non sibi propriæ, sed respectu sui alienæ; propriæ autem respectu panis, nimirùm similis omninò ei quam sibi propriam imprimeret panis, si adesset.*

Dicendum est contra Maignanum, species Eucharisticas non esse tantùm apparentias.

Prob. 1. Ex S. Thoma 3. parte quæst. 75. art. 5. ad 2. *In hoc Sacramento nulla est deceptio: sunt enim ibi secundum rei veritatem accidentia quæ sensibus dijudicantur; intellectus autem per fidem à deceptione præservatur.* Sed in hoc Sacramento esset aliqua deceptio, si species Eucharisticæ essent tantùm apparentiæ: Christus enim nobis exhiberet id quod non est quasi esset, & ita nos deciperet & nostris sensibus illuderet; ergò species Eucharisticæ non possunt esse apparentiæ.

Prob. 2. Quando sumitur Eucharistia, fit vera & realis manducatio Corporis Christi; cum Concilium Tridentinum Sess. 13. can. 8. doceat, *Corpus Christi realiter manducari:*

atqui non esset vera & realis manducatio Corporis Christi, si species Eucharisticæ essent meræ apparentiæ; ergò &c. Prob. min. ut sit vera & realis manducatio Corporis Christi, debet aliquid reale verè & realiter manducari, ratione cujus Corpus Christi dicatur manducari: siquidem Corpus Christi in se non manducatur, cum ibi sit modo spirituali & inextenso: atqui nihil reale manducaretur, si species Eucharisticæ essent meræ apparentiæ. Primò, non manducaretur substantia panis, quia nulla est, ut fides docet. Secundò, Non manducarentur verè & realiter species Eucharisticæ, quia non sunt aliquid reale, sed meræ apparentiæ, ut vult Maignanus; ergo non esset vera & realis manducatio Corporis Christi.

Prob. 3. Plurima verè & realiter dicuntur de speciebus Eucharisticis quæ certè de ipsis non dicerentur, si essent meræ apparentiæ; ergo &c. Prob. ant. 1. Concilium Trid. dicit Sess. 13. Cap. 3. species Eucharisticas esse, *Symbolum rei sacræ, & invisibilis gratiæ formam visibilem.* 2. Tota Theologia asserit cum S. Thoma, 3. parte quæst. 77. art. 6. & 7. species esse partem essentialem Sacramenti, item nutrire, frangi, dividi: atqui illa omnia non possent verè dici de speciebus Eucharisticis, sed tantum apparenter ut patet; ergo &c.

Obj. 1. Admittenda est illa opinio circa species Eucharisticas, quæ faciliùs concipitur, & faciliùs creditur: atqui opinio, quæ docet species Eucharisticas esse meras apparentias, faciliùs concipitur & creditur, quàm illa quæ asserit species Eucharisticas esse accidentia

realia sine subjecto; ergò admittenda est illa opinio quæ docet species Eucharisticas esse meras apparentias.

Resp. 1. neg. maj. Quia si in rebus quæ ad fidem pertinent, quæreretur & admitteretur opinio quæ faciliùs posset concipi & credi, certè Concilium generale Nicænum non damnasset sententiam Arrii asserentis Christum esse tantùm hominem, quia faciliùs crederetur & conciperetur, Christum esse tantùm hominem, quam ipsum esse simul Deum & hominem. Concilia, nempè Turonense & Romanum non damnassent Berengarium asserentem Christum esse tantùm figurativè in Eucharistia, quia faciliùs crederetur opinio quæ docet ibi tantùm esse Christū figurativè, quàm illa quæ docet ibi esse verum Corpus Christi.

Resp. 2. neg. min. Quia opinio, quæ docet species Eucharisticas esse tantùm apparentias, habet etiam maximas difficultates; Quid enim conceptu & creditu difficilius quàm quod dicunt acerrimi illius sententiæ defensores, quòd nempè nihil reale videtur, nihil reale tangitur, nihil reale percipitur, Quando potentia visiva videt hostiæ albedinem, quando odoratus percipit odorem &c.

Obj. 2. Ubi sunt species, ibi sunt apparentiæ: atqui in Sacramento Eucharistiæ sunt species; ergò sunt apparentiæ. Prob. maj. Species & apparentiæ idem significant: quando enim dicitur quòd Christus visus est sub specie hortulani, hoc est sub apparentiâ hortulani; ergò ubi sunt species, ibi sunt apparentiæ.

Resp. neg. maj. ad cujus prob. dist. ant.

ſpecies & apparentiæ idem ſignificant in aliquo caſu, Con. in omnibus, neg. quia licet ſpecies & apparentiæ aliquando idem ſignificent, ut in exemplo Chriſti qui præferebat extrinſecùs ſpeciem ſeu apparentiam hortulani; in venerabili tamen Eucharistiæ Sacramento non poſſunt idem ſignificare, quia illud eſt contra naturam transſubſtantiationis quæ eſſentialiter exigit, ut remaneat aliquid illius quod convertitur: ſi autem ſpecies idem eſſent ac apparentiæ, non remaneret aliquid illius quod convertitur, & conſequenter impoſſibile eſt, quòd ſpecies & apparentiæ in Sacramento Euchariſtiæ poſſint idem ſignificare,

Obj. 3. In ſenſibus non poteſt eſſe deceptio & falſitas; ergo Chriſtus non illudit noſtris ſenſibus. Prob. ant. ibi non poteſt eſſe deceptio, ubi non poteſt eſſe falſum judicium. atqui in ſenſibus non poteſt eſſe falsũ judiciũ: 1. Quia non poteſt eſſe affirmatio in ſenſibus. 2. Quia, ut ait Maignanus in ſuâ appendice de ſpeciebus Euchariſticis. *Senſuum non eſt judicare utrùm quantitas, albedo, ſapor, calor, humiditas, aliaque hujuſmodi ſecundùm propriam cuique eſſentiam ita ſint accidentia, ut non etiam ſint ſimul ſubſtantiæ*; & ut ait alio in loco ejuſdem appendicis, *manifeſtum eſt non poſſe in ſenſu deceptionem colligi ex eò quòd ego dico, ſpeciem impreſſam, ſeu actionem quæ in Euchariſtia oculum ſub ratione albedinis afficit eſſe effectivè, non ab albedine quadam ex pane ſuperſtite, ſed à Chriſto: cum enim de hoc nullum poſſit oculus formare judicium, conſequenter nec poterit formare judicium falſum, adeóque nec in eo deceptionem pati;*

ergo in sensibus non potest esse deceptio.

Resp. dist. ant. In sensibus non potest esse deceptio & falsitas complexa, con. incomplexa, neg. quia tunc est falsitas complexa, quando est difformitas cum objecto, & quando potentia percipit talem difformitatem; ita ut in falsitate complexa debeat esse affirmatio, vel negatio: sed in sensibus non potest esse affirmatio & negatio; ergo nec falsitas complexa. Falsitas verò incomplexa est difformitas cum objecto, hoc est quando potentia non percipit objectum ut est in se: sed si species Eucharisticæ essent meræ apparentiæ, sensus perciperent aliquid ut reale quod non est reale, & proinde in illis esset falsitas incomplexa. Illud non potest negari à Maignano, & de hac falsitate loquitur tantùm S. Thomas, quando dicit quòd in illo Sacramento nulla est deceptio in sensibus; non loquitur enim de falsitate complexâ, quia certè scit & docet Doctor Angelicus, quòd in sensibus nulla est affirmatio aut negatio.

Obj. 4. Christus potest nobis exhibere id quod non est quasi esset, producendo in nobis speciem impressam rei absentis, & tamen non est deceptio; ergò licet species Eucharisticæ sint meræ apparentiæ, Christus nostris sensibus non illudit. Prob. ant. quando in hoc Sacramento miraculosè videtur caro, aut sanguis, aut etiam aliquis puer per productionem specierum in oculis intuentium, tunc Christus nobis exhibet rem quæ non est quasi esset: atqui tunc non est deceptio, ex S. Thoma 3. parte quæst. 76. art. 8. in corpore. *Nec hoc tamen*, inquit, *pertinet ad aliquam deceptionem*,

sicut accidit in Magorum præstigiis ; quia talis species divinitus formatur in oculo ad aliquam veritatem figurandam , ad hoc scilicet quòd manifestetur verè Corpus Christi esse sub hoc Sacramento : sicut etiam Christus absque deceptione apparuit Discipulis euntibus in Emaüs ; ergò Christus potest nobis exhibere rem quæ non est quasi esset, & tamen non est deceptio.

Resp. dist. ant. Christus potest nobis exhibere illud quod non est , quasi esset, & tamen non est deceptio , si illud exhibeat ad manifestandam aliquam veritatem, con. si illud non exhibeat ad manifestandam aliquam veritatem , neg. Responsio illa desumitur ex loco jam laudato unde Maignanus argumentum desumpserat , ideo enim non decipit Christus, quando in speciebus Eucharisticis nostris oculis exhibet carnem , sanguinem, vel puerum ; neque similiter , quando assumptâ hortulani aut peregrini personâ apparuit Magdalenæ & Discipulis euntibus in Emaüs, quia repræsentationes illæ extrinsecæ & ejusmodi fiebant ad manifestandam aliquam veritatem. Primæ enim erant ad manifestandum Corpus Christi esse in hoc Sacramento ; aliæ verò ad manifestandã Christi resurrectionem. Si autem Christus in Sactamento Eucharistiæ exhiberet nobis accidentia panis quæ non sunt quasi essent , Christus nos deciperet , eoquòd ejusmodi repræsentatio non esset ad manifestandam veritatem hujus Sacramenti ; imò verò eam omninò destrueret , quia dêstrueret naturam transsubstantiationis quæ exigit , ut remaneat aliquid reale & non apparens tantùm, ex eo quod præexistebat antea.

Obj. 5. Ex eodem Maignano, qui ubi plurimis rationibus conatus fuit probare nullam esse in sensibus deceptionem, ex eo quòd species Eucharisticæ sint meræ apparentiæ; videtur tamen quasi palinodiam canere, & veritate convictus concedere, quòd in sensibus est deceptio. Inde tamen putans nullum sequi inconveniens, arguit in hunc modum. In intellectu nudè considerato est deceptio circà species Eucharisticas: si quidem homo, non solùm reduplicativè ut animal, sed etiam ut rationalis præcisè, id est non illustratus lumine fidei, visis accidentibus colore, odore & quantitate, judicat ibi remanere panem; ergò non est inconveniens quòd in sensibus externis sit aliqua deceptio circa species Eucharisticas.

Resp. neg. conseq. & parit. Quia intellectus fallitur per accidens, quod nullum est inconveniens. Sensus verò fallerentur per se circa objectum proprium, quod est maximum inconveniens. Intellectus tunc fallitur per accidens, scilicet ratione sensuum quibus mediantibus attingit & cognoscit accidentia, ex quorum cognitione judicat remanere substantiam, cum tamen non remaneat per miraculum ratione transsubstantiationis. Sensus verò fallerentur circa objectum proprium, v.g. Potentia visiva falleretur per se circa albedinem quam putaret esse in hostiâ quæ tamen non est, juxta Maignanum.



ARTICULUS XV.

Utrum formæ accidentales educantur de potentia subjecti.

NOtandum est quod formẽ accidẹtales sunt in triplici ordine. Aliæ sunt naturales ut calor respectu ignis. Aliẹ artificiales, ut figura quadrata. Aliæ demũ supernaturales, ut fides divina de his omnibus procedit difficu ltas.

Dicendum est, omnes formas accidentales educi de potentiâ subjecti.

Prob. illæ formæ ẽducuntur de potentiâ subjecti quæ dependent à subjecto in fieri, in esse & conservari, & quæ producuntur cum transmutatione subjecti: atqui omnes formæ accidentales dependent à subjecto in fieri in esse & conservari, & producũtur cum transmutatione subjecti; ergo educuntur de potentia subjecti. Prob. min. nullæ formæ accidentales possunt produci nisi recipiantur in subjecto, neque productæ possunt existere, nisi inhæreant in subjecto: ipsum etiam subjectum transmutatur ad productionem illarum formarum, quia fuit sub privatione; ergo omnes formæ accidentales dependent à materiâ in fieri esse & conservari, & producuntur cum transmutatione subjecti, & proinde omnes formæ accidentales educuntur de potentia subjecti.

Obj. 1. quod educitur de potentia subjecti continetur in potentia ipsius: atqui formæ supernaturales non cõtinentur in potẽtia subje-

cti, scilicet animæ; ergo non educuntur de potentia subjecti.

Resp. disting. maj. quod educitur de subjecto, debet contineri in potentiâ vel naturali vel obedientiali con. in potentia naturali tantũ neg. similiter distinguenda est minor: atqui formæ supernaturales non continentur in potentiâ naturali animæ con. in potentiâ obedientiali neg. sicut enim dantur formæ naturales & supernaturales, ita subjectum habet duplicem potentiam, una est naturalis ad recipienda accidentia naturalia; & altera est obedientialis ad recipienda accidentia supernaturalia.

Inst. atqui gratia nullo modo potest contineri in animâ; ergo nulla solutio. Prob. subs. quod est superioris ordinis non potest contineri in potentiâ animæ: atqui gratia est superioris ordinis; ergo non potest contineri in potentia animæ. Prob. maj. quod continetur in alio debet esse ejusdem ordinis & habere aliquam proportionem cum continente; ergo quod est superioris ordinis non potest contineri in potentiâ animæ.

Resp. neg. subs. ad ejus prob. disting. maj. quod est superioris ordinis non potest contineri in potentiâ naturali animæ con. in obedientiali neg. verum quidem est quòd debet esse proportio inter illud quod continetur tamquam in causâ materiali respectu potentiæ obedientialis, & illud quod continet, & talis proportio reperitur inter gratiam & popotentialem obedientialem animæ; nam si gratia sit supernaturalis, potentia obedientialis animæ est quodam modo supernaturalis, quod quidem à Thomistis diversimodè expli-

catur. 1. Quidam dicunt quod potentia obedientialis non est purè naturalis nec purè supernaturalis, sed utramque rationem participat; si enim entitativè & ex parte subjecti sit naturalis, tamen terminativè est supernaturalis, quia respicit terminum & agens supernaturale; qui quidem respectus licet non illam variet in esse entitativo, tamen illam varat in esse potentiæ, & ita potentia obedientialis est saltem terminativè supernaturalis. 2. Quidam alij dicunt, quod potentia obedientialis formaliter sumpta est supernaturalis non tantum ex parte termini, sed secundum substantiam.

Obj. 2. gratia creatur juxta illud Prophetæ, *Cor mundum crea in me Deus*, per cor autem mundum juxta interpretum expositionem intelligitur gratia; ergo gratia non educitur de potentia subjecti.

Resp. disting. ant. gratia creatur moraliter con. Physicè neg. creari moraliter idem est ac produci ex nullo præsuposito merito, sub hac ratione gratia producitur in animâ ex nullo præsupposito merito, & proindè dicitur creari moraliter: creari verò Physicè est produci ex nihilo sui & subjecti, gratia autem præsupponit subjectum in quo recipiatur, & proindè non creatur Physicè.

Obj. ultimo: ad veram eductionem requiritur, ut fiat realis subjecti transmutatio: atqui ad quarundam formarum productionem non fuit facta transmutatio in subjecto; ergo illæ formæ accidentales non fuerunt eductæ de potentia subjecti. Prob. min Angeli receperunt gratiam in instanti suæ creationis; si-

militer Beata Virgo in eodem instanti in quo fuit producta recepit gratiam; ergo ad productionem gratiæ non fuit transmutata Maria, nec fuerunt transmutati Angeli, quia nusquam fuerunt sub privatione talis gratiæ.

Resp. dist. min. ad productionem quarundam formarū non fuit facta transmutatio per accidens con. per se neg. quia licet per se loquendo ad eductionem requiratur vera & realis transmutatio, tamen per accidens potest contingere ut manente essentiâ eductionis non detur de facto talis transmutatio; illud contingit quando forma & subjectum licet non habeant inter se necessariam connexionem in eodem instanti producuntur; & ita dicendum quod Angeli, non fuerunt transmutati per productionem gratię, quia nusquam fuerunt sub privatione illius, & tamen gratia fuit educta de potentia obedientiali Angelorum, quia illa actio per quam gratia producta fuit erat transmutativa subjecti licet per accidens non transmutavit: eodem modo ratiocinandum de gratia Mariæ.



ARTICULUS XVI.

An detur & quid sit privatio.


Dicendum est 1. dari plures privationes in materia.

Prob.

Prob. materia informata unâ formâ caret plurimis alijs formis quas appetit; ergo in materia dantur plures privationes, quia cum privatio nihil aliud sit quàm absentia & carentia formæ, plurimæ sunt privationes, cum materia careat plurimis formis.

Dicendum est 2. & ultimo privationem esse carentiam formæ in subjecto apto, sive in subjecto cui debetur forma.

Prob. & explicatur talis definitio. Privatio & negatio conveniunt in hoc quòd dicunt carentiam in subjecto, & in hoc differunt quòd negatio dicat carentiam in subjecto non apto, qualis est potentiæ visivæ carentia respectu lapidis: privatio autem dicit carentiam formæ in subjecto apto, qualis est carentia ejusdem potentiæ visivæ respectu hominis.



QUÆSTIO IV.

De composito substantiali.

HACTENUS egimus de principiis compositi physici: nunc de ipso composito, circa quod tria quæruntur. 1. Utrùm compositum constet materiâ & formâ tanquam partibus essentialibus, quod ab aliis alio modo solet enuntiari, nempè utrùm dentur duo principia in facto esse. 2. Utrùm detur unio,

possit dici nihil, debet esse de essentia cōpositi. Prob. ant. quod in nullo poneretur prædicamento, nihil esset: sed si materia non esset de essentia compositi, in nullo poneretur prædicamento. 1. Non poneretur per se, quia secundum se est aliquid incompletum. 2. Non poneretur reductivè, quia non reduceretur ad compositum tanquam pars essentialis illius; ergo materia nihil esset.

Obj. 1. si materia in communi esset de essentia compositi phisici in cōmuni, sequeretur quòd materia particularis esset de essentia compositi particularis v. g. hoc numero corpus esset de essentia talis hominis in particulari: atqui materia particularis non est de essentia hominis particularis; ergo materia in cōmuni non est de essentia cōpositi physici in cōmuni. Prob. min. quod est de essentia hominis physicè sumpti, debet semper remanere idē: atqui in homine non semper idem corpus, remanere siquidē in ipso qui ad vigesimū ætatis annum venit, non est eadem materia quæ fuit ante viginti annos, quia per actionem caloris naturalis fuit consumpta, & alia per nutritionem fuit subrogata; ergo tale corpus non est de essentia talis hominis in particulari.

Resp. neg. min. ad cujus probationem dist. min. in homine non semper remanet corpus idē materialiter con. formaliter neg. materia enim per rationem caloris naturalis non totaliter deperditur, sed una pars perit, & altera per nutritionem addita continuatur cum præexistente; & ita materia remanet eadem formaliter, quia manet sub eadem forma: sicuti ignis dicitur idem per continuam

lignorum additionem; ſicuti fluvius dicitur idem numero licet partes aquæ continuò fluant, quia illis aquæ partibus continuò fluentibus ſuccedunt aliæ; ſicuti civitas remanet eadem, licet quot annis pluribus morientibus civibus, novi in eorum locum ſubrogentur.

Obj. 2. quod eſt pars eſſentialis alicujus non poteſt pertinere ad diverſa compoſita: atqui materia pertinet ad diverſa compoſita; ſiquidem materia quæ fuit ſub forma vivente, nunc eſt ſub forma cadaveris; ergo materia non eſt pars eſſentialis compoſiti phiſici.

Reſp. diſt. maj. quod eſt pars eſſentialis alicujus per modum formæ, non poteſt pertinere ad plura compoſita, conc. quod eſt pars eſſentialis alicujus per modum materiæ, non poteſt pertinere ad plura compoſita neg. quia forma non poteſt ſucceſſivè recipi in pluribus materiis, cum ſit una per materiam; & ita ſi reciperetur in pluribus materiis, eſſet una ut ſupponeretur, & fieret tamen multiplex per diverſas materias in quibus reciperetur, & proinde quod eſt pars eſſentialis per modum formæ non poteſt pertinere ad plura: cum autē materia ſit ſubjectum cōmune, & ex natura ſua poſſit ſucceſſivè recipere plures formas; ideo & poteſt pertinere ad plura cōpoſita.

Inſtabis: ſi materia unius individui poſſet pertinere ad aliud individuum, ſequeretur quòd homo non poſſet idem reſurgere: atqui homo debet idem reſurgere, juxta illud ſancti Athanaſii: *Omnes homines habent reſurgere cum corporibus ſuis*; ergo materia unius individui non poteſt pertinere ad aliud individuum.

Resp. neg. maj. quia ut ait S. Tho. lib. 4. contra gent. cap. 81. *Caro igitur comesta resurget in eo in quo primo fuit*, & paulò post, *& quod defuerit, supplebitur omnipotentiâ creatoris*, idem docet sanctus Aug. de civ. Dei cap. 20. *si quispiam* inquit *confectus fame vescatur cadaveribus hominum, quod malum aliquoties accidisse, & vetus testatur historia, & nostrorum temporum infœlicia experimenta docuerunt, verùm reddetur caro illa homini in quo esse caro hæc primitus cœpit.*

Obj. ult. quod est de essentia alicujus rei, est principium distinctivum ipsiusmet rei, quia idem est principium distinctivum & constitutivum: sed sola forma est distinctivum principium; ergo sola forma est principium constitutivum, & proinde sola forma est de essentia compositi.

Resp. dist. maj. quod est de essentia alicujus per modum formæ, est principium distinctivum, con. quod est de essentia alicujus per modum materiæ, neg. quia licet animal & rationale sint de essentia hominis metaphysicè sumpti, tamen homo convenit per animal & differt per rationale; ita licet corpus & anima sint de essentia hominis physicè sumpti, homo convenit per materiam, & differt per formam.



ARTICULUS II.

Utrùm detur unio realis & positiva distincta inter materiam & formam.

NOtandum est, quòd quadruplex potest assignari unio inter materiam & formam, scilicet effectiva, dispositiva, relativa, & formalis. Unio effectiva est actio agentis naturalis unientis formam cum materia. Unio dispositiva sunt dispositiones, quibus materia fit capax recipiendi & conservandi formam. Unio relativa est mutuus respectus materiæ & formæ. Unio denique formalis est copulatio materiæ & formæ. De duabus primis unionibus ibi non disputatur; quia certum est eas esse quid distinctum à materia & forma. De tertia etiam non disputatur, quia posito quòd ille respectus sit relatio prædicamentalis, constat esse quid distinctum à materia & forma. de quarta tantùm agitur, & quæritur utrùm sit aliquid distinctum à materia & forma.

Dicendum est, non dari unionem distinctam inter materiam & formam.

Prob. 1. materia & forma determinantur, ut uniantur sine ulla unione distincta; ergò non datur, prob. ant. materia & forma determinantur per se ut uniantur: siquidem materia de se est potentia receptiva formæ, forma similiter de se est actus informativus materiæ; ergo materia & forma determinantur, ut uniantur sine ulla unione distincta.

Prob. 2. Vel illa unio esset corporea, ut docet Complutenses, vel spiritualis, ut vult Suares; neutrum dici potest, ergo &c. prob. prima pars minoris; si enim esset corporea, non posset unire animam materiæ, nisi reciperetur in illa tanquam in subjecto; atqui res purè corporea non potest permanenter recipi in subjecto spirituali; ergo illa unio non potest esse corporea. prob. 2. pars minoris: si talis unio esset spiritualis, non posset produci ab homine per potentiam generativã ut à causa principali; ergo unio nõ potest esse spiritualis: Prob. ant. nullus effectus potest excedere virtutem causæ suæ, & esse nobilioris ordinis: atqui potentia generativa est materialis; ergo homo non potest per potentiam generativam producere illam unionem spiritualem.

Obj. 1. ex S. Th. 1. parte q. 76. art. 1. ad 6. *Secundum se*, inquit, *convenit animæ uniri corpori, sicut corpori levi convenit secundum se esse sursum*: atqui corpus leve non potest esse sursum, nisi per ubicationem intrinsecam quæ mediat inter corpus locatum & ipsum locum: ergo anima unitur materiæ per unionem quæ mediat inter materiam & formam.

Resp. ad auctoritatẽ S. Th. *secũdum se cõvenit animæ uniri corpori, sicut corpori levi convenit secundum se esse sursum.* Disting. secundum inclinationem quam utrumque habet ad terminum, con. secundum modum & statum quo utrumque est in termino, neg. anima enim & corpus in hoc conveniunt, quod sicut corpus leve separatum à loco sursum habet inclinationem ad illum, ita anima separata à corpore, habet inclinationẽ ad corpus; diffe-

runt verò in hoc quòd corpus leve est in loco sursum per ubicationem distinctam ab ipso corpore, anima veró unitur corpori per se ipsam.

Obj. 2. Omnis actio postulat novum terminum: atqui generatio substantialia est actio realis; ergo postulat novum terminum, sed ille terminus non est materia; quia est ingenerabilis, neque forma in homine, quia creatur à Deo; ergo unio debet esse terminus talis generationis.

Resp. 1. dist. maj. omnis actio requirit novum terminum producendum vel uniendum, con. producendum semper, neg. quia sufficit ut actio uniat terminum præexistentem alicui subjecto, ut patet in resurrectione hominis cujus terminus formalis est anima quæ longo ante tempore extitit.

Resp. 2. dist. illam propositionem forma in homine secundum se spectata non est terminus formalis generationis, con. forma ut communicata materiæ non est terminus formalis generationis, neg. forma autem semper est terminus formalis generationis cùm illa tamen differentia ut in compositis materialibus, sit terminus formalis generationis, eò quod producatur à generante, & per eandem actionem per quam producitur, uniatur materiæ, unde formæ substantiales materiales dicuntur educi de potentia materiæ; si verò forma non producatur per generationem, qualis est forma hominis, tunc terminus formalis generationis erit ipsa forma, non ut producta per generationem, sed ut communicata materiæ.

Resp. 3. Quod etiam si daretur unio distincta à materia & forma, ipsa unio non esset terminus formalis generationis, sed illud semper tantùm conveniret formæ 1. quia ex Arist. 2. Phys. textu 1. cap. 14. *generatio est via ad formam* 2. quia terminus formalis generationis est illud per quod compositum formaliter constituitur, non constituitur autem formaliter per unionem, sed tantùm per formam: ergo forma non vero unio est terminus formalis generationis.

Obj. 3. quæ separantur realiter, distinguntur realiter: atqui unio separatur ab anima & corpore; ergo distinguitur ab anima & corpore, prob. min. in morte remanet materia, remanet etiam anima, & perit utriusque unio, ergo unio separatur ab anima & corpore.

Resp. dist. min, unio separatur ab anima & corpore, quando invicem non cõmunicantur, con. quando invicem cõmunicantur, neg. vel unio separatur ab anima, quando non dat esse corpori, con. quando dat esse corpori, neg. quia cum unio animæ nihil aliud sit quam ipsa anima communicata, dicitur perire talis unio, quando anima cessat esse in corpore, & ita quando dicitur quod perit unio, non est intelligendum quod pereat aliqua entitas distincta ab anima, sed est intelligendum, quod anima cessat tantùm informare corpus.

Obj. ult. ubi datur effectus formalis unionis, ibi debet dari causa formalis: atqui datur effectus formalis unionis, nempe materiam & formam esse unitas; ergo debet dari causa formalis, nempe unio.

Resp. dist. maj. ubi datur effectus formalis

unionis, ibi debet dari causa formalis indistincta, con. distincta neg. Illa enim unio qua materia & forma dicuntur formaliter unitæ, non est aliquis modus positivus medians inter materiam & formam, & ab illis distinctus realiter, sed tantùm est inseparatio seu negatio separationis.

Inst. atqui non sufficit illa inseparatio; ergo nulla solutio prob. subs. duplici ratione. 1. Sequeretur quòd Angelus posset naturaliter causare resurrectionem, quia posset Angelus statuere animam intra ipsum corpus, & facere ut anima esset indistans.

2. Illa inseparatio esset aliquid negativum cum consisteret in non separatione: atqui unio debet esse aliquid positivũ;ergo unio non potest esse tantum inseparatio prob. min. duplici modo 1. unio est forma constitutiva uniti quòd est aliquid positivum. 2. Unio est essentialis composito; ergo unio debet esse aliquid positivum.

Resp. 1. neg. subs. & ad primam partem argumenti dico quod unio non est ipsa inseparatio precisè sumpta, sed quatenùs ipsa inseparatio denotat dispositiones in materia ab agente naturali introductas, & ita ex nostra conclusione non sequitur Angelum posse naturaliter causare resurrectionem, quia ad veram resurrectionem non sufficit, ut anima statuatur intra corpus, sed debet ipsum corpus iterum informare, ad quam informationem requiruntur in materia eædem dispositiones quæ antea erant, illæ autem non possunt ab Angelo introduci, & ita licet Angelus possit animam intra corpus statuere, non potest tamen

naturaliter causare resurrectionem.

Resp. neg. subs. & ad 2. partem argumenti respondeo duplici modo.

1. Neg. min. & ad probationem dist. primã partem antecedentis. Unio est forma constitutiva uniti quod est aliquid positivum, si unitũ sumatur materialiter con. si sumatur formaliter neg. quia cum unitũ sit quasi aliquod concretum, importat duo, unum pro materiali, & aliud pro formali; pro naturali importat partes quæ uniuntur, & sunt quidem aliquid positivum; importat verò pro formali unionem sive inseparationem quæ est aliquid negativum.

2. Neg. secundam partem antecedentis, unio enim non est essentialis composito, cum non sit de primario conceptu illius.

Inst. atqui unio est de primario conceptu compositi, ergò nulla solutio. prob. illud est de primario conceptu compositi, quo sublato quibuscumque remanentibus nullomodo potest remanere compositum: atqui sublata unione non remanet compositum; ergò est de conceptu primario compositi.

Resp. neg. subs. ad cujus probationem, neg. maj. Quia plurima sunt quibus illud convenit, & tamen non sunt de essentia rei: ita causa efficiens non potest esse causa efficiens, nisi habeat existentiam, quia quod causat per modum causæ efficientis, hoc est dando existentiam debet illam habere, & tamen existentia nòn est de conceptu primario causæ efficientis cum sit tantum illi accidentalis. Similiter generatio nullomodo potest fieri sine causa efficiente, & tamen causa efficiens non est de pri-

mario conceptu generationis, & ita licet posita unione ponatur compositum, & licet sublata unione tollatur compositum, non inde sequitur, quod unio sit de primario conceptu compositi.



ARTICULUS III. & ultimus.

Utrùm compositum distinguatur à partibus simul sumptis & unitis.

Dicendum est compositumPhysicum non distingui realiter à partibus simul sumptis & unitis.

Prob.1. autoritate Arist. qui 4. Phys. cap. 3. ait, *Totum nihil aliud est quam partes* : 2. authoritate S. Thomæ qui 1. parte quæst. 75. art. 4. sed contra concludens solam animam non esse hominem, adducit hoc testimonium Beati Augustini, qui lib. 19. de Civit. Dei cap. 3. commendat Varronem, qui *hominem nec animam solam, nec solum corpus, sed animam simul & corpus esse arbitrabatur.*

Prob. 2. Ratione: quæ habent eandem essentiam non distinguuntur realiter: atqui totum, & partes habent eandem essentiam, nam partes sunt definitio essentialis Physica Totius, definitio autem & definitum idem sunt ut fatentur omnes; ergo totum & partes simul sumptæ non distinguntur realiter.

Prob. 3. Illa tertia entitas faceret ens per

accidens cum materia & forma; ergo non datur distincta realiter à partibus simul sumptis & unitis. prob. ant. Illa entitas facit ens per accidens quæ advenit enti in actu: atqui illa tertia entitas adveniret enti in actu: ergo faceret ens per accidens. prob. min. illa tertia entitas adveniret materiæ habenti formam: sed materia habens formam est ens in actu; ergo adveniret enti in actu.

Obj. 1. Omnis causa distinguitur realiter à suo causato: atqui materia & forma ut unitæ sunt causa compositi; ergo materia & forma ut unitæ distinguntur à composito, & proinde compositum est tertia entitas distincta realiter à partibus.

Resp. 1. dist. maj. Omnis causa extrinseca distinguitur realiter à suo causato, con. omnis causa intrinseca neg. verum est quidem quod causa efficiens & causa finalis quæ sunt causæ extrinsecæ distinguntur realiter à suo causato; materia autem & forma sunt causæ intrinsecæ compositi, cum causent illud communicando seipsas, materia recipiendo, forma actuando, ex qua communicatione fit compositum, & ita illæ causæ intrinsecæ non distinguntur à composito.

Resp. 2. dist. min. Materia & forma ut uniendæ seu in fieri sunt causa cōpositi con. ut unitæ seu in facto esse neg. Quia quādiu materia & forma sunt sub uniri sivè in via ad unionem sunt causa compositi, quando vero sunt sub unione, hoc est quando sunt de facto unitæ, tunc non sunt causa compositi, sed sunt ipsum compositum.

Obj. 2. Multa conveniunt composito quæ

non conveniunt partibus ; ergò totum & partes distinguntur. Prob. ant. multipliciter 1.. Compositum est unum , non vero partes. 2 Compositum est subjectum accidentium , non verò partes. 3. Compositum est principium operationum,non verò partes. 4. Compositum est completum, non vero partes ; ergo multa conveniunt composito quæ non conveniunt partibus.

Resp. dist. ant. multa conveniunt composito quæ non conveniunt partibus seorsim sumptis con. simul sumptis neg. quia quidquid convenit composito, convenit partibus simul sumptis quæ sunt ipsum compositum. 1. Partes simul sumptæ sunt quid unum , quando autem compositum dicitur unum ; hoc est intelligendum de unitate compositionis ; dicitur enim unum,quatenus non est multiplex essentia , illud autem non est intelligendum de unitate simplicitatis , ita ut compositum excludat omnem multitudinem cum coalescat ex multis. 2.partes ut unitæ sunt subjectum accidentium. 3. si sumantur seorsim , & secundum suas entitates sunt principium quo,tum proprietatum, tum actionum:si vero simul sumantur sunt principium quod. 4. partes simul sumptæ sunt aliquid completum.

Obj. 3. quæ sunt eadem cum uno tertio sunt eadem inter se : atqui si compositum non distingueretur à partibus simul sumptis & unitis, materia & forma essent idem cum uno tertio nempe cum composito;ergo essent idem inter se, quod non potest dici, quia materia & forma distinguntur realiter.

Resp. dist. maj. si illa adęquatè & conver-

tibiliter se habeant con. si adæquatè & convertibiliter non se habeant neg. quia illud principium debet tantum intelligi de illis quæ se habent adæquatè & convertibiliter ut patet exemplo paternitatis & filiationis respectu essentiæ divinæ, licet enim filiatio & paternitas sint unum & idem cum essentia divina, tamen distinguuntur inter se, quia non se habent convertibiliter, hoc est unum non prædicatur de alio: non enim potest dici, paternitas est filiatio, neque filiatio est paternitas: ita per aliquam proportionem ratiocinandum est de materia & forma, quæ licet sint unum & idem cum composito, non sunt unum & idem inter se, quia non se habent convertibiliter, hoc est vnum non prędicatur de alio, non enim potest dici, materia est forma, neque forma est materia.



QUÆSTIO V.

Dę natura, Violentia & arte.

CUM jam in alijs quæstionibus egerimus de materia & forma, ut sunt principia intrinseca corporis naturalis, nunc de ipsis agendum superest, ut sunt causa & principia motus & quietis.



ARTICULUS I.

Quid sint natura & violentum.

DIcendum est 1. naturam definiri ab Aristotele, *principium & causam motus & quietis, hujus in quo est primò per se, & non per accidens.*

Prob. & explicatur talis definitio. 1. Natura dicitur principium, sive activum, sive passivum. 2. Dicitur causa radicalis scilicèt omnis motus & per hoc distinguitur à privatione quæ quidem est principium generationis non vero causa, quia non habet realem influxum. 3. Dicitur causa motus, scilicet physici qualis est motus localis & motus alterationis, & per hoc excluduntur motus Angelorum. 4. Additur quietis per quam particulam non intelligitur carentia motus sed permanentia alicujus rei in loco proprio sive centro sub forma sibi connaturali : sic lapis dicitur quiescere in centro: hæc autem duo non conveniunt naturæ conjunctim, ita ut sit simul & semel in eodem subjecto principium motus & quietis, sed in diversis dumtaxat. 5. Dicitur hujus in quo est, hoc est compositi substantialis, in quo est natura. 6. Additur particula primò ut ostendatur naturam esse principium primum & radicale motus non verò secundarium & proximum, ut est gravitas in lapide. 7. Denique dicitur per se & non per accidens, ut ostendatur naturam esse principium internum

ad motum per se ordinatum, & ita excluduntur principia interna per accidens, ita scientia medici, licet sit principium internum ad restituendam suam sanitatem, non est natura quia est principium per accidens, siquidem per accidens est, quod ægrotus calleat medicinam.

Dicendum est 2. violentum esse illud quod est à principio extrinseco, passo non conferente vim.

Probatur & explicatur talis conclusio. Illa forma dicitur violenta quæ introducitur ab agente extrinseco in subjectum quod ad illam nullum habet appetitum sive inclinationẽ; ita ut nullam vim conferat, hoc est non concurrat passivè ad ipsam recipiendam; sic calor est forma violenta respectu aquæ; ergò violentum optimè definitur illud quod est à principio extrinseco passo non conferente vim.



ARTICULUS II.

Quibus rebus conveniat ratio naturæ.

DIcendum est 1. rationem naturæ convenire materiæ & formæ.

Prob. materia est principium illius motus, quo transmutatur ab uno esse ad aliud, materia similiter est principium quietis formarum, quia formæ quiescunt in materia; forma verò est modo principium passivum, motuum, modo principium activum, est princi-

pium passivum illorum motuum quos res ipsa in se non excitat, sed naturaliter exigit ab alio habere, ut forma cœli naturaliter exigit habere motum ab intelligentia; forma autem est principium activum motuum quos res ipsa in se excitat, ut sunt motus vitales, motus gravium & levium, &c. ergo ratio naturæ convenit materiæ & formæ.

Dicendum est 2. rationem naturæ aliquomodò convenire naturæ.

Prob. Compositum est radix & origo suorum motuum, ergo aliquomodò ratio naturæ convenit composito. Dixi tamen *aliquomodò* nam ut notant Arist. & S. Th. 2. phys. lect. 2. compositum est magis à natura, id est, constans naturâ, scilicet materiâ & formâ, quam natura.

Dicendum est 3. animam rationalem habere rationem naturæ.

Prob. anima rationalis est forma constitutiva corporis naturalis, corporis scilicet humani: atqui esse formam constitutivam corporis naturalis, est esse principium activum motus sive operationis quæ elicitur à tali composito, & esse principium motus, est habere rationem naturæ; ergo anima rationalis habet rationem naturæ.



ARTICULUS III.

Utrùm ars possit producere opera naturæ.

DIcendum est primò, artem non posse virtute sua efficere opera naturæ.

Probatur. Ars dupliciter sumitur vel pro ipso habitu intrinseco & intellectuali, vel pro ipso effectu ab arte producto, v. g. forma cathedræ est effectus artis; atqui ars sub utraque illa formalitate considerata, virtute sua non potest efficere opera naturæ; ergò ars nullomodo potest virtute sua efficere opera naturæ. Probatur minor quoad omnes partes, primò ille habitus est omninò spiritualis, natura verò debet esse aliquid corporeum sive formaliter sive virtualiter; ergò cum ille habitus totaliter differat à natura, non potest virtute sua efficere opera naturæ. Secundò effectus artificiales consistunt vel in figura, ut forma statuæ, vel in compositione, ut formæ unguentorum, vel in ordine ut formæ horologiorum: sed figura, compositio & ordo non possunt causare aliquem motum; ergò effectus artificiales non possunt virtute sua efficere opera naturæ. Probatur minor, figura & ordo non causant motum in naturalibus; ergò nec in artificialibus.

Objicies primò, Albertus magnus confecit caput Æneum voces humanas proferens. Architas Tarentinus confecit columbam ligneam per aëra volitantem. Dædalus confecit

statuas hùc & illùc discurrentes. Archimedes confecit cœlum vitreum quod movebatur ; ergò ars potest efficere opera naturæ,

Respondeo negando consequentiam ; quia illa omnia fiebant solùm quibusdam machinis intùs inclusis , sicut regularis motus horologij fit gravitate ponderum & diversa rotularum dispositione.

Objicies secundò & ultimò , formæ artificiales sunt efficaces ad plurima opera , ut ad sanandas ægritudines , ad fugandos serpentes; siquidem virtute imaginum Astronomicarum quas vocant *Talismanos* ; quæ sub certo astrorum aspectu depinguntur , plurima fiunt supra communem naturę cursum , ut figura serpentis depicti cæteros fugat serpentes ; ergò ars potest virtute sua efficere opera naturæ.

Respondeo quod illa omnia fiunt à Dæmonibus applicando activa passivis.

Dicendum est secundò & ultimò artem efficere opera naturæ applicando activa passivis.

Probatur. constat experientia medicos restituere sanitatem adjuvando naturam & præbendo illi instrumenta quibus munita per suam vim intrinsecam se reducat ad pristinam sanitatem. Constat etiam experientia calore ignis enasci pullos & similia : atqui hujusmodi formæ naturales non producuntur nisi applicando virtutes activas passivis directione & industria artis,quæ virtutes activæ superant illas qualitates,quæ sunt in subjecto, & sic ab illo expellunt formam naturalem præexistentem & novam introducunt, qualem exigunt dispositiones & accidentia introdu-


cta; ergò ars potest efficere opera naturæ applicando activa passivis.

Obj. si applicando virtutes activas passivis, ars posset efficere opera naturæ, maximè aurum: atqui ars non potest efficere aurum; ergò ars non potest facere opera naturæ applicando activa passivis. Probatur minor, sanctus Tho. in secundum sententiarum, distinctione septima, quæstione tertia, articulo primo ad quintum, docet Alchimistas facere solum aliquid simile auro, quantum ad accidentia exteriora, sed non faciunt verum aurum, quia forma substantialis non est factibilis per calorem quo utuntur Alchimistæ, sed per calorem Solis in loco determinato ubi viget virtus mineralis unde Joannes XXII. damnat hujus auri venditionem; ergo per Alchimiam non potest fieri verum aurum.

Resp. disting. min. per Alchimiam non potest fieri verum aurum moraliter, con. physicè & absolutè neg. quia difficillimum est invenire activa ad hoc requisita & passiva, & illa deinde convenienter applicare, ut constat longa experientia. Multi enim è suis fornacibus fucatum aurum tantùm protulere, idcircò Doctor Angelicus illud falsum arbitratur, & talem artem damnavit summus Pontifex, non quod censeant illud esse omninò impossibile, cum enim omnia metalla constent vivo argento & sulphure, & calor ignis sit ejusdem speciei cum calore Solis, absolutè potest produci verum aurum, quod autem Divus Thomas crediderit aurum posse absolute fieri illud clarè conjiciturex hoc quod secunda secundæ quæst. 77. art. 2. ad 1. dicit, *si*

per Alchimiam fieret verũ aurum, non esset illicitum ipsum pro vero vendere: & mox affert rationem his verbis; *quia nihil*, inquit, *prohibet artem uti aliquibus naturalibus causis, ad producendum naturales & veros effectus.*






TRACTATUS II.

De causis entis mobilis.



D productionem entis mobilis non solum concurrunt principia intrinseca de quibus jam in primo tractatu egimus, concurrunt etiam plurimæ causæ quæ sunt extrinseca entis mobilis principia: nunc ergo ibi agendum de causa efficiente & finali, redibit etiam sermo de materia & forma prout habent rationem causæ, hæc omnia in quinque questionibus discutientur; in quarum prima agetur de causis in communi, in 2. de causa efficiente, in 3. de causis materiali & formali; in 4. de causa finali, in 5. & ultima de causis per accidens.



QUÆSTIO I.

De causis in communi.

TRes continebit articulos ista quæstio. In 1. quæretur quid & quotuplex sit causa. In

In 2. utrum causa sit prior & nobilior effectu.
In 3. & ultimo utrum causæ sint ad invicem causæ.



ARTICULUS I.

Quid, & quotuplex sit causa.

DIcendum est. 1. Causam definiri, principium alicujus per modum influxûs, ex quo natum est aliquid consequi secundum dependentiam in esse.

Probatur & explicatur definitio. 1. Dicitur principium loco generis, quia per illud causa convenit cum privatione, cum conditione sine quâ, & aliis quæ dant initium alicui rei. 2. Additur per modum influxus, ut exprimatur ratio formalis quâ omnis causa constituitur actu causans, sive influens & tribuens esse alicui, & per hoc distinguitur à conditione sine qua & aliis principiis ex quibus sine influxu alia procedunt. 3. Additur ex quo natum est aliquid consequi secundum dependentiam in esse, ut assignetur ultima conditio causæ, non enim quilibet influxus potest esse causalitas, sive ratio formalis constitutivâ causæ, sed talis influxus debet importare dependentiam & diversitatem ab alio secundum entitatem; nam omne causatum debet esse diversum à causa; & proinde generatio & spiratio activa in divinis, licet communicent esse, non tamen communicant esse dependens

dependens & diversum; ergo causa rectè definitur principium, &c.

Dicendum est 2. & ultimò, quatuor esse causarum genera, sive causam adequatè dividi in materialem, formalem, efficientem & finalem.

Prob. Tot sunt causarum genera, quot sunt causæ concurrentes ad producenda composita naturalia; atqui quatuor sunt causæ concurrentes ad producenda composita naturalia; ergò sunt quatuor causarum genera. Prob. min. 1. Compositum naturale non fit ex nihilo, sed ex præsupposito subjecto; quia nihil fit ex nihilo ab agente naturali: sed illud subjectum quod præsuponitur, est materia, sive causa materialis; ergo datur causa materialis. 2. Cum materia prima sit pura potentia nullum habens actum, non potest dare speciem & complementum substantiale, quod habent composita naturalia, & quod tantum potest provenire à sola forma; ergo datur forma sive causa formalis. 3. Nullum compositum est à se, sed ab alio; & illud à quo est compositum, est causa efficiens; ergo datur causa efficiens. 4. Nullum agens agit temerè; ergo datur causa finalis propter quam quodlibet agens operatur: ergo dantur quatuor causæ quæ inter se differunt in hoc, quod causa efficiens sit illa à qua aliquid fit; causa materialis sit illa ex qua aliquid fit; causa formalis sit illa per quam aliquid fit; causa verò finalis sit illa propter quam aliquid fit.



ARTICULUS II.

Utrùm causa sit prior & nobilior suo effectu.

DIcendum est 1. causam esse priorem suo effectu, prioritate naturæ.

Prob. Prioritas naturæ præcisè in hoc consistit, quòd posterius dicatur dependere ab illo quod dicitur prius: atqui omnis effectus dependet realiter à sua causa, ut manifestum est ex ipsa causæ definitione; ergò omnis causa est prior suo effectu prioritate naturæ.

Dicendum est 2. effectum esse æqualis perfectionis cum causa materiali & formali simul sumptis: si verò effectus sumatur secundum totum quod dicit, est nobilior qualibet illarum causarum sigillatim sumptâ.

Prob. conclusio quoad 1. partem. Effectus totam perfectionem quam habet entitativam, habet ab illis ex quibus intrinsecè componitur: sed effectus causæ materialis, & formalis, scilicet compositum, conficitur intrinsecè ex ipsa materia & forma simul sumptis; ergo habet totam perfectionem ab ipsis, & proinde effectus causæ materialis & formalis non est perfectior ipsis partibus simul sumptis.

Prob. eadem conclusio quoad 2. partem. Totum habet perfectionem à qualibet causa intrinseca; ergo totum comparatū ad quamlibet sigillatim sumptam, est perfectius; nam præter perfectionem quam compositum habet ab

illa, includit etiam perfectionem quam habet ab alia: unde compositum, secundum totum quod dicit, est perfectius materia & forma sigillatim sumptis.

Dicendum est 3. causam finalem principalem in agentibus benè ordinatis esse nobiliorem effectu, in agentibus vero malè ordinatis esse ignobiliorem effectu.

Prob. conclusio quoad 1. partem. S. Thomas in 2. sent. dist. 15. art. 1. ait, *Inconveniens est quod aliquid sit principaliter propter vilius se*: sed effectus est propter finem; ergo finis est nobilior effectu. Unde natura quæ semper ordinatè agit, ordinat viliora ad nobiliora tanquam ad finem; sic omnia animalia ordinantur ad hominem, homo vero ad Deum.

Prob. conclusio quoad 2. partem. Patet experientia, quòd inordinatè agentes ordinant religionem ad regnandum, sacra ad lucrum; eleemosinam ad vanam gloriam; ergo ex deordinatione hominum malè operantium, finis est imperfectior suo effectu.

Dicendum est 4. & ultimò, causam efficientem principalem, modò esse nobiliorem, modò æquè nobilem.

Prob. Omnis causa efficiens vel est æquivoca, vel univoca: atqui causa æquivoca est nobilior suo effectu, & causa univoca est æquè nobilis; ergo causa efficiens principalis est nobilior, vel æquè nobilis. Prob. min. quoad omnes partes. 1. Causa æquivoca, quæ est diversæ rationis ab effectu, continet eminenter suum effectum; ergo habet esse perfectius & eminentius, & proinde est perfectior & eminentior. 2. Causa uni-

voca est ejusdem rationis cum effectu;ergo est æque nobilis, .quòd si effectus habeat majorem perfectionem individualem quàm sua causa, hanc tamen non habet ut est effectus talis causæ.

Obj. 1. Pater aliquis habens ingenium tardum, & difforme corpus, producit filium habentem acutum ingenium, & pulchrum corpus; ergo causa univoca est imperfectior suo effectu.

Resp. distinguendo conseq. Causa univoca est imperfectior perfectione accidentali, conc. perfectione substantiali, neg. quia, quòd ille filius sit perfectior patre, hoc provenit ab extrinseco, ex eo scilicet quòd habuerit benigniorem concursum causarum externarum, scilicet cœli, solis & hujusmodi; & proinde accidens est, quòd ille filius sortitus fuerit melius temperamentum, & feliciorem organorum dispositionem.

Obj. 2. Cœlum est causa efficiens æquivoca viventium, quæ causantur ex putrefactione: atqui cœlum est imperfectius ipsis viventibus, cum sit inanimatum; ergo causa efficiens æquivoca non est perfectior suo effectu.

Resp. dist. maj. Cœlum est causa efficiens æquivoca instrumentalis,con. principalis,neg. quia cœlum non producit hujusmodi viventia per virtutem propriam, sed per virtutem Angeli à quo movetur, ut probabitur in tractatu de cœlis.



ARTICULUS III.

Utrùm causæ sint sibi ad invicem causæ.

DIcendum est, causas esse sibi ad invicem causas in diverso genere.

Prob. Quæ mutuò inter se dependent realiter, se mutuò causant realiter: atqui materia & forma, causa efficiens & finalis inter se mutuò dependent realiter: ergo se mutuò causant realiter. prob. min. causa materialis dependet à formali, ut sit actus, causa verò formalis dependet à materiali, ut existat, similiter causa efficiens dependet à fine; & causa finalis dependet ab efficiente, si quidem finis potest considerari duplici modo, vel ut intentus, vel ut obtentus, finis ut intentus movet causam efficientem, finis verò, ut obtentus causatur ab ipsa causa efficiente; & ita finis est causa & effectus.

Obj. Si causæ essent sibi mutuò causæ, sequeretur quòd causa esset causa sui ipsius: atqui causa non potest esse causa sui ipsius; ergò causæ non possunt esse sibi adinvicem causæ. prob. sequela maj. quod est causa causæ, est causa causati: atqui materia est causa formæ per quam deinde causatur; ergò materia est causa sui ipsius.

Resp. neg. sequelam maj. ad cujus probationem dist. maj. Quod est causa causæ, in eodem genere quo causatur, est causa causati,

con. in diverso genere neg. quia forma non dat esse materiæ eodem modo, quo materia dat esse formæ: siquidem forma dat esse materiæ actuando & informando; materia verò dat esse formæ, illam recipiendo. Unde D. Thomas quæst. 31. de malo ad 4. docet, quod ad veritatem illius axiomatis, duo requiruntur. 1. Ut illud quod procedit à causato, procedat ab illo secundum causalitatem secundum quam causatum fuit; quod si procedat ab illo diversa causalitate, non reducitur ad illum, nec est effectus illius, defectu cujus conditionis, materia non est causa sui. 2. Requiritur, ut prior causa non tantum tribuat alteri causæ esse, sed etiam influxum, defectu cujus conditionis Deus non est causa peccati, licet sit causa voluntatis humanæ & entitatis peccaminosæ, quia peccatum non procedit ab eis secundum quod subordinantur divinæ causalitati, sed quatenus se ab illa substrahunt, bene tamen ignis producens calorem in aqua, & aqua calefaciens manum, est causa caloris in manu producti per calorem aquæ.





QUÆSTIO II.

De Causa efficiente.

CUm causa efficiens creata sit principalis vel instrumentalis, de qualibet ibi disputabitur.



ARTICULUS I.

Quid sit causa efficiens, & quænam sit causalitas causæ efficientis.

DIcendum est. 1. causam efficientem definiri, primum principium per se, à quo profluit motus.

Prob. & explicatur talis definitio. 1. Causa efficiens dicitur principium ; & per hoc convenit cum aliis causis. 2. Dicitur primum, quia causa efficiens est prima in executione; causa vero finalis, quæ dicitur omnium prima, est tantùm prima in intentione. 3. Dicitur principium extrinsecum, ut distinguatur à materia & forma, quæ sunt principia intrinseca. 4. Additur per se, ut distinguatur à causis per accidens. 5. Denique subjungitur, à quo pro-

fluit motus, ut ostendatur causam efficientem producere mutationem in subjecto; ergò causa efficiens rectè definitur primum principium extrinsecum per se à quo profluit motus.

Dicendum est 2. actionem, ut est ultimus actus agentis, esse causalitatem sive rationem formalem constitutivam causæ in esse causæ actualis.

Prob. Illud est causalitas causæ efficientis, per quod causa constituitur actu causans: atqui causa efficiens constituitur actu causans per actionem; ergò actio est causalitas causæ efficientis.



ARTICULUS II.

Utrùm duæ causæ totales ejusdem generis, & non subordinatæ, possint producere eundem numero effectum.

Dicendum est, duas causas totales efficientes ejusdem generis & non subordinatas, nonposse producere eundem numero effectum.

Prob. Duas causas totales simul producere eundem numero effectum involvit contradictionem: ergò illud non potest fieri nec naturaliter nec divinitus. Prob. ant. esse causam totalem, & non esse causam totalem, est aliquid contradictorium; atqui, si duæ causæ totales producerent eundem numero effectum, essent totales & non essent totales: essent totales, ut supponitur, & non essent totales, ut

probatur. per essentialem dependentiam effectus, causa constituitur totalis: atqui, si idem numero effectus produceretur à duabus causis totalibus, esset duplex dependentia & non esset; ergò essent totales & non totales. prob. ant. esset duplex dependentia, ut supponitur & non esset; quia effectus non haberet essentialem connexionem cum una causa: nam illâ remotâ produceretur æque bene effectus, ac si adesset; ergò non esset duplex dependentia.

Obj. 1. Duo corpora luminosa habentia æqualem virtutem, producunt eandem lucem in parte aëris æqualiter distante; ergò duæ causæ totales possunt producere eundem numero effectum. prob. ant. in illa parte aëris æqualiter distante est unica lux: sed illa unica lux producitur ab utroque corpore luminoso; quia non est major ratio, quòd producatur ab uno quàm ab alio: ergò duo illa corpora luminosa producunt eundem numero effectum.

Resp. neg. suppositionem: quia impossibile est quod una pars aëris secundum se totam, æqualiter distet ab illis duobus corporibus luminosis, quia omnis aëris pars quantumvis minima est divisibilis in suas medietates; unde quælibet pars aëris mediantis inter illa duo corpora luminosa, illuminatur à corpore propinquiori.

Inst. Illa duo corpora luminosa possunt divinitùs se penetrare: atqui tunc producerent eandem lucem in eadem aëris parte æqualiter distante: ergò illa duo corpora luminosa producerent eundem numero effectum.

Resp. 1. neg. min. quia facta illa suppositione, quod scilicet illa duo corpora luminosa se penetrarent, & quod haberent æqualem virtutem, tunc illa duo corpora luminosa se mutuo impedirent, & utrumque cessaret ab agendo.

Resp. 2. dist. min. Illa corpora luminosa producerent eandem lucem, tanquam causæ partiales, con. tanquam causæ totales, neg. quia posito quod illa duo corpora luminosa haberent æqualem virtutem, & quod subjectum non esset capax recipiendi effectum utriusque, tunc illa corpora modificarent suam virtutem, & ita essent tantum causæ partiales.

Inst. iterum. Agentia naturalia non possunt modificare suam virtutem, sed agunt secundum totam suam virtutem quam habent: atqui illa duo corpora sunt agentia naturalia: ergo non possunt modificare suam virtutem.

Resp. neg. maj. Agentia naturalia seorsim sumpta non possunt modificare suam virtutem con. conjunctim & simul concurrentia, neg. quia agentia naturalia in agendo exercent virtutem quam postulant effectus producendi: cum autem effectus producendi non possint dependere à duabus causis totalibus, necesse est ut illæ causæ modificent suam virtutem, ut non sint causæ totales, sed partiales.

Obj. 2. & ultimò. Deus & ignis sunt duæ causæ totales: atqui Deus & ignis producunt alium ignem: ergo duæ causæ totales possunt producere eundem numero effectum.

Resp. dist. maj. Deus & ignis sunt duæ causæ totales subordinatæ, con. non subordinatę,

neg. quia cum causæ subordinatæ producant effectum per eandem actionem, non implicat eas posse producere eundem numero effectum.



ARTICULUS III.

Utrùm duæ causæ totales possint divisim producere eundem numero effectum, sive utrum unus effectus productus ab una causa, potuerit produci ab aliâ.

DIcendum est, unum numero effectum productum ab una causa, non potuisse produci ab aliâ.

Prob. 1. Si unus effectus productus ab una causa, posset produci ab alia, sequeretur, quod ille effectus dependeret & non dependeret: atqui illud non potest dici, quia illud involvit contradictionem: ergo unus numero effectus productus ab una causa, non potuit produci ab alia. prob. sequela. maj. ille effectus productus ab una causa, dependeret ab illa, ut supponitur; quia omnis effectus dependet essentialiter à causa, & ille effectus non dependeret, quia ille effectus non dependet ab illa causa, sine qua potuit produci: atqui ille effectus potuit produci sine causa, à qua fuit productus, cum potuerit produci ab alia, ut volunt adversarii: ergo ille effectus non dependeret à causa.

Prob. 2. Idem numero effectus non potest

produci nisi per hanc numero actionem: quia sicuti per actionem effectus recipit esse, ita ab illa effectus recipit unitatem numericam: atqui hæc numero actio, per quam effectus fuit productus, non potuit emanare ab alia causa, quia qualibet actio cum sit accidens, individuatur per suum principium à quo emanat, & in quo recipitur; ergo idem numero effectus productus ab una causa, non potuit produci ab alia. Illud docet D. Thomas quodlibeto 5. art. 8. *Impossibile est*, inquit, *eundem filium nasci, sive sit alius pater, sive sit alia mater, sicut etiam non est idem numero sigillum, sive sit alia cera, sive sit aliud corpus sigilli, ex cujus impressione cera sigillatur.*

Obj. 1. calor productus ab igne A. potuit produci ab igne. B. ergo unus effectus productus ab una causa, potuit produci ab alia. prob. ant. calor productus ab igne A. potest conservari ab igne B. ergo potuit produci, quia conservatio est continuata productio: unde agens quod habet virtutem conservandi, habet virtutem producendi.

Resp. neg. ant. ad cujus probationem dist. aliud ant. Calor productus ab igne A. potest conservari ab igne B. per accidens, con. per se, neg. quia aliquid potest conservare aliud duplici modo, scilicet per se, vel per accidens: illud dicitur conservare per se, quod conservat per eandem actionem, per quam res fuit producta: talis autem actio non potest pertinere ad plures causas, quia cum sit accidens, non potest reperiri in diversis subjectis: illud vero dicitur conservare per accidens, quod removet contraria: ita ignis B. dicitur per accidens

dens conservare calorem productum ab igne A, quia ab illo removet contraria.

Obj. 2. Causa universalis continet virtutem causarum particularium; ergo effectus productus à causa particulari, potest produci à causa universali.

Resp. dist. ant. causa universalis infinita continet virtutem causarum particularium, con. causa universalis finita, neg. quia causa infinita, qualis est Deus, cum habeat esse eminentissimum, continet eminentissimo modo virtutem omnium causarum.

Inst. atqui causa universalis finita, qualis est Sol, continet virtutem omnium causarum particularium; ergo nulla solutio.

Resp. dist. sub. causa universalis finita continet virtutem causarum particularium, secundum rationes specificas, con. secundum rationes individuales, neg. quia Sol potest quidem producere effectus ejusdem speciei, v. g. potest producere calorem ejusdem speciei cum illo qui producitur ab igne, & ita habet eandem virtutem secundum rationes specificas; non autem potest producere eundem numero calorem, quia non potest habere eandem numero actionem, ut jam probatum fuit: proinde Sol non continet virtutem causarum particularium secundum rationes individuales.

Obj. 3. Idem lepus occisus à Petro, potuit occidi à Paulo; ergo effectus productus ab una causa, potuit produci ab alia.

Respondeo concesso antecedente, neg. consequentiam: quia licet idem lepus occisus à Petro, potuerit occidi à Paulo, non ta-

men per eandem occiſionem, & licèt illud provenirer ab eadem actione, non tamen inde poſſet conjici, quod unus effectus productus ab una cauſa, potuerit produci ab alia: quia mors non eſt effectus poſitivus de quo ibi eſt quæſtio, ſed tantùm eſt effectus privativus, cum mors ſit privatio vitæ.

Obj. ultimò. Aliqui prædeſtinati, qui nati ſunt à parentibus reprobis, potuerunt naſci ab alijs: ergo unus effectus productus ab una cauſa, potuit produci ab alia. Prob. ant. ſi Adamus non peccaſſet, illi prædeſtinati nati fuiſſent: quia prædeſtinatio divina eſt infallibilis & immutabilis: atqui illi prædeſtinati non fuiſſent nati à parentibus reprobis: quia nullus fuiſſet reprobus, ut ait Gregorius magnus lib. 4. moralium c. 36. *Si parentem primum nulla peccati rubigo corrupiſſet, nequaquam ex ſe filios gehennæ generaret: ſed illi qui nunc per redemptorem ſalvandi ſunt, ſoli ab illo electi naſcerentur*; ergo illi prædeſtinati potuerunt naſci ab alijs parentibus.

Reſp. 1. neg. ant. & maj. quia illa ſuppoſitio quæ continetur in illa propoſitione, non poteſt admitti: quia, ut docet D. Thomas quodlibeto 5. art. 8. Deus non prædeſtinavit electos, niſi preſcius futuri lapſus; & ideò prædeſtinati nati à parentibus reprobis, non potuerunt naſci ab alijs.

Reſp. 2. quòd alij dicunt, quòd ſi Adamus non peccaſſet, fuiſſet alter rerum ſtatus, qui nunc non eſt, vel non elegiſſet illos homines quos nunc elegit, vel elegiſſet illos parentes, ſine quibus prædeſtinati non poterant naſci.

Reſp. 3. neg. ant. & conceſſa ſuppoſitione

neg. min. quia licet Adamus non peccasset, fuissent semper reprobi ex quibus nati fuissent prędestinati; ut enim ait S.Thomas, in statu innocentię homines non nati fuissent, in justitia confirmati: potuissent ergo peccare & damnari, proinde distinguenda est authoritas Gregorii magni, si parentem primum nulla peccati rubigo corrupisset, nequaquam ex se generaret filios gehennæ, tales factos per peccatum originale conc. tales factos per liberum arbitrium & peccata personalia, neg. ita Divus Thomas explicat authoritatem Gregorii magni: ait enim 1. p. q. 100. art. 2. ad 1. *Quod si Adam non peccasset, non generaret ex se filios gehennæ: ita scilicet quod ab ipso peccatum contraherent quod est causa gehennæ: possent tamen fieri filii gehennæ per liberum arbitrium peccando.*



ARTICULUS IV.

Utrùm substantia creata sit principium immediatè operativum.

NOtandum est, circa præsentem difficultatem 4. esse opiniones. 1. Existimat substantiam absolutè non operari, nec radicaliter nec proximè; sed sola accidentia operari. 2. Est opinio Scoti affirmantis solam substantiam esse principium tam radicalè quàm proximum & immediatum operandi; ita ut accidentia sint tantùm dispositiones requisitæ ad introductionem effectus in passo.

3. Est Suaresii asserentis substantiam & accidentia esse simul & conjunctim principium proximum & immediatum operationis; quatenus substantia tribuit accidentibus aliquem influxum & virtutem, quâ mediantè accidentia elevantur ad operandum. 4. Denique est Sancti Thomę qui docet substantiam esse principium radicale & remotum operandi.

Dicendum est, substantiam creatam esse principium operandi radicale & remotum, non verò principium proximum & immediatum.

Prob. Potentia immediatè & proximè operativa est distincta realiter à substantia; ergò non est substantia. Prob. ant. accidens distinguitur realiter à substantia: atqui potentia immediatè operativa est accidens; ergo potentia immediatè operativa distinguitur realiter à substantia. Prob. min. illa potentia est accidens, & distinguitur realiter à substantia, quæ ordinatur ad actum accidentalem, per quem specificatur & completur: sed potentia operativa ordinatur ad actum accidentalem; ordinatur enim ad operationem quæ est accidens in creaturis; ergo potentia immediatè operativa, est accidens. Prob. maj. actus & potentia. ex Aristotele, debent esse in eodem genere, quia omnis potentia specificatur per ordinem quem dicit ad actum; ergo illa potentia est accidens, quę ordinatur ad actum accidentalem.

Obj. 1. ex sententia illorum qui dicunt substantiam nullomodo ex operari. Ex Aristotele cap. de sapore, *Ignis*, inquit, *non agit ut ignis, sed ut calidus*; ergò substantia nullomodo operatur.

Resp. distinguendo ant. Ignis non agit ut ignis, immediatè & proximè, con. radicaliter & remotè, neg. quia illâ authoritate vult tantùm docere Aristoteles, substantiam ignis non immediatè operari propter rationem jam allatam in probatione conclusionis.

Obj. 2. Accidentia operantur independenter à substantia, & sine ullo influxu substantię; ergò sola accidentia operantur, tam proximè, quâm remotè.

Resp. dist. ant. Accidentia operantur sine ullo influxu substantię ut sunt virtutes substantię, con, ut sunt accidentia pręcisè, neg, quia, licet accidentia non recipiant influxum à substantia, dicuntur tamen operari dependenter à substantia, quatenus accidentia non habent vim operandi, nisi quia sunt conjuncta substantię; & proindè substantia dicitur principium radicale operandi.

Obj. 3. Ex sententia illorum qui dicunt substantiam esse immediatè operativam. Idem est principium operandi, ac principium essendi: atqui forma substantialis est principium proximum essendi in composito; ergò est principium proximum operandi.

Resp. dist. maj. Idem est principium radicale operandi, ac principium essendi, con. idem est principium proximum operandi ac principiũ essendi, neg. quia licet forma substantirlis possit esse principium proximum essendi, non tamen potest esse principium proximum operandi. Forma substantialis potest esse principium proximum essendi, quia forma & esse substantiale sunt ejusdem ordinis: non potest

autem esse principium proximum operandi, quia operatio utpote accidentalis, est diversi ordinis à forma.

Obj. 4. Quodlibet debet producere sibi simile: ergo una substantia debet producere aliam substantiam.

Resp. dist. ant. quodlibet debet producere sibi simile, vel proximè vel remotè, conc. proximè tantùm, neg. quia substantia non potest producere aliam substantiam tanquàm causa proxima & immediata propter rationem jam allatam in probatione conclusionis.

Obj. 5. Accidens proximè & immediatè producit aliud accidens: ergo una substantia potest immediatè & proximè producere aliam substantiam.

Resp. neg. conseq. & paritatem; ratio disparitatis est, quia cum accidens sit virtus operativa substantię, non indiget alio, ut fiat talis virtus.

Obj. ultimò; substantia Angeli est substantia creata: atqui substantia Angeli immediatè operatur; ergò substantia creata est proximè & immediatè operativa. Prob. min. intellectio, per quam Angelus se cognoscit, procedit immediatè à substantia: ergò substantia Angeli est immediatè operativa. Prob. ant. intellectio quâ Angelus se cognoscit, procedit immediatè à specie repręsentante objectum, quę species concurrit effectivè ad intellectionem; atqui substantia Angeli seipsam repręsentat; ergo intellectio procedit immediatè à substantia.

Resp. neg. min. ad cujus probationem dist.

ant. intellectio procedit à substantia, ut habet rationem objecti con. procedit à substantiam ut habet rationem potentię, neg. nullũ est inconveniens quod actio & objectum sint in diverso genere, est autem maximum inconveniens, quod actio & potentia non sint in eodem genere, ut probatum fuit.



ARTICULUS V.

Utrùm accidens producat aliud accidens & substantiam sine ullo influxu substantiæ.

DIcendum est, accidens non indigere aliquo peculiari & actuali influxu substantię, ad producendos effectus substantiales.

Prob. Accidens per se est sufficiens ad producendos effectus substantiales; ergo accidens non indiget aliquo peculiari & actuali influxu substantiæ. Prob. ant. quod est virtus substantiæ, est sufficiens ad producendos effectus substantiales: atqui accidens est virtus substantiæ; ergò per se est sufficiens ad producendos effectus substantiales. Prob. min. accidens est propter substantiam, in qua debet inhærere, & quam debet perficere, & in esse & in operari; ergò accidens est virtus substantiæ.

Obj. 1. Omnis causa instrumentalis debet recipere virtutem à causa principali: atqui accidens est causa instrumentalis, respectu effectuum substantialium quos producit; ergo

debet recipere virtutem sive influxum actualem à causa principali.

Resp. dist. maj. omnis causa instrumentalis, debet recipere virtutem à causa principali, si non sit virtus substantiæ, con. si sit virtus substantiæ, neg. quia cum accidens sit virtus substantiæ, non est necesse ut fiat talis virtus per aliam virtutem, quia sic daretur processus in infinitum.

Obj. 2. & ultimò: potentiæ vitales non possunt exercere suos actus sine influxu actuali animæ rationalis; ergo accidētia non possunt operari sine actuali influxu substantiæ. prob. ant. quando intellectus v. g. nimium vacat contemplationi, potentiæ non exercent suos actus, v. g. oculus non videt, auris non audit, & hujusmodi: atqui hoc solùm provenit defectu influxus actualis animæ rationalis; ergo potentiæ vitales non possunt exercere suos actus sine actuali influxu animę rationalis.

Resp. neg. ant. & min. quia hoc non provenit ex defectu influxus actualis animæ, sed ex eo quòd quando anima applicat intellectum ad contemplationem valde intensam, spiritus vitales consumuntur, qui requiruntur ad intellectionem, saltem dispositivè, defectu quorum, aliæ potentiæ non possunt exercere suas operationes.

Inst. Si potentiæ vitales non indigerent influxu actuali animæ rationalis, & si sufficeret tales potentias dimanasse ab anima, sequeretur, quòd si divinâ virtute intellectus separaretur ab anima, & ipsa anima adnihilaretur, adhuc ille intellectus sic separatus eliceret operationes quæ possent attribui animæ

rationali : atqui illud est absurdum ; ergo & illud unde sequitur.

Resp. neg. maj. quia ille intellectus positò quòd separaretur ab anima, non esset ampliùs vitalis, quia ubi potentiæ desinunt esse in subjecto, desinunt etiam esse vitales : siquidem de ratione vitæ ipsarum potentiarum est, quòd illæ potentiæ sint conjunctæ cum primo principio radicali vitæ, & ita cùm ille intellectus separatus ab anima, non esset vitalis, non eliceret operationes vitales, & ita non tribuerentur animæ.



ARTICULUS. VI.

Vtrùm proprietates fluant ab essentiâ per actionem distinctam.

NOtandũ est, emanationẽ sive resultantiã nihil aliud esse quàm productionẽ unius ad productionem alterius, ex vi naturalis connexionis quã simul habent; unde illa dicuntur dimanare ab aliquo, quæ ad ejus productionẽ producuntur per quandam naturalem connexionem ; sic calor producitur cum igne, frigiditas cum aqua. His ita positis, quæritur utrùm essentia producat suas proprietates per actionem distinctam ab actione sui productiva, vel utrùm ipsæ proprietates emanent ab essentia per resultantiam.

Dicendum est, proprietates fluere ab essentia, non per actionem distinctam, sed per naturalem resultantiam, hoc est per actionem generantis, quâ producitur essentia.

nùs attingit mediante substantiâ proprietates illi naturaliter debitas, dicitur, resultantia.



ARTICULUS VII.

Per quid constituatur causa instrumentalis in esse causæ instrumentalis.

NOtandum est. 1. Quod causa instrumentalis est causa agens in virtute alterius causæ principalis. Causa agens continet rationem generis, quia per hoc convenit cum causa principali. Ceteræ particulæ continent differentiam, quia in hoc differt causa principalis à causa instrumentali, quod causa principalis agat virtute propria & connaturali, completâ & permanente, causa verò instrumentalis agit per virtutem impressam à causa printipali, & illa virtus est incompleta, fluxa & transiens, quatenus est via & medium ad effectum causæ principalis, & transit cum ipsa actione, illa autem virtute elevatur instrumentum, & recipit sufficientiam & efficientiã.

Notandum est 2. & ultimò. Instrumentum multipliciter dividi. 1. Dividitur in morale & physicum. Morale est illud quod non influit physicè in effectum, sed ad præsentiam illius causa physica operatur, talis est sonus tubarum excitans milites ad pugnam. Instrumentum physicum est illud, quod realiter influit in effectum, sicut securis scindendo lignum. 2. instrumentum physicum subdividitur in naturale, supernaturale & artificiale. Naturale est

illud, quod ex natura sua institutum est ad effectum aliquem producendum, ut granum tritici, & omnia semina plantarum. Supernaturale est illud quod attingit effectum supernaturalem, ut sunt Sacramenta. Artificiale denique est illud quo fit aliquod artefactum. 3. instrumentum physicum iterum dividitur in conjunctum & separatum. Conjunctum est illud quod non tantum indiget motione causæ principalis, sed etiam actuali conjunctione, ut calamus scribentis. separatum est illud quod indiget tantum motione causæ principalis, ut Sacramenta.

Dicendum est, causam instrumentalem physicam constitui formaliter in esse instrumenti, ex eo quod operatur ut mota à causa principali.

Prob. Causa instrumentalis definitur causa agens in virtute causæ principalis; ergo causa instrumentalis physica constituitur in esse instrumenti per virtutem causæ principalis. prob. conseq. si nihil reciperet à causa principali, non ageret per virtutem causæ principalis: sed ut patet ex ipsa definitione instrumenti, causa instrumentalis agit per virtutem causæ principalis; ergo causa instrumentalis recipit virtutem aliquam à causa principali.

Obj. 1. Illa virtus quæ imprimeretur instrumento, vel esset proportionata, & sufficiens ad producendum effectum, vel non esset proportionata: secundum dici non potest, quia indigeret altera motione, ut per illam fieret sufficiens & proportionata; primum etiam dici non potest, quia si illa virtus esset proportionata, efficeret instrumentum causam principalem

palem : siquidem illa causa est principalis quæ habet virtutem proportionatam ad producendum effectum, ergo instrumentum non recipit virtutem à causa principali.

Resp. Illam virtutem esse proportionatam per modum instrumenti ad producendum effectum, nec tamen constituit instrumentum in esse causæ principalis, quia illa virtus non est in instrumento per modum permanentis, sed tantum per modum transeuntis.

Obj. 2. Illa virtus quæ imprimitur instrumento est necessaria, ut instrumentum subjiciatur, subordinetur, & obedientialiter se habeat ad causam principalem : atqui in creatura, ut docet Sanctus Thomas, datur potentia obedientialis, ut ea media fiat quidquid creator disposuerit ; ergo illa virtus non requiritur, ut instrumentum constituatur in esse instrumenti.

Resp. distinguendo min. datur potentia obedientialis negativa, radicalis & remota concedo, positiva, formalis & proxima nego : quia illa potentia obedientialis de qua loquitur Sanctus Thomas, nihil aliud est quam ipsa entitas creaturæ non habens repugnantiam obediendi Deo, quod est esse tantum elevabile, & non elevatum : unde requiritur virtus aliqua impressa à causa principali, ut instrumentum elevetur ad producendum effectum.

Inst. datur in creatura potentia obedientialis passiva, per quam ita subordinetur Deo, ut absque ullo superaddito possit recipere formas supernaturales. v. g. fidem, gratiam, & hujusmodi : ergo à pari datur in creatura po-

tentia obedientialis activa, per quam absque superaddito potest elicere actus supernaturales.

Resp. neg. conseq. & paritatem, ratio disparitatis est, quia licet aqua possit immediatè recipere calorem, non potest tamen immediatè producere calorem in subjecto externo, & ita licet, creatura possit immediatè recipere formas supernaturales, non tamen potest producere effectus supernaturales, nisi mediante aliqua virtute supernaturali.

Obj. ultimò. Sacramenta sunt instrumenta physica gratiæ: atqui Sacramenta non recipiunt aliquam virtutem; ergo falsum est, quod instrumenta debeant recipere aliquam virtutem à causa principali. Prob. min. Si Sacramenta reciperent aliquam virtutem, vel illa virtus esset spiritualis vel corporea, non potest dici quod sit spiritualis, quia virtus spiritualis non potest recipi in subjecto corporeo, non potest etiam dici quod sit corporea, quia virtus corporea non potest dari ad effectum spiritualem; ergo illa virtus nulla est.

Resp. neg. min. ad cujus probationem dist. illam propositionem. Virtus spiritualis non potest recipi in subjecto corporeo, per modum permanentis concedo: per modum transeuntis nego: illa distinctio est Sancti Thomæ 3. parte quæst. 62. art. 4. ad 1. qui docet, *quod nullum est inconveniens, quod res spiritualis transiens & incompleta, recipiatur in aliquo subjecto corporeo.*



ARTICULUS ULT.

Utrùm causa instrumentalis habeat actionem sibi propriam.

Dicendum est, causam instrumentalem habere actionem sibi propriam, præviã & dispositivam, ut possit esse instrumentum causæ principalis.

Prob. Si instrumentum non haberet actionem sibi propriam & nihil ageret, non esset instrumentum, sed medium: atqui instrumentum non est tantum mediũ; ergo instrumentum debet habere actionem sibi propriam. Prob. maj. Illud dicitur medium, quod defert virtutem alteriùs, & ex se nihil agit, ut aër, est tantùm medium deferens species visibiles: ergo si instrumentum deferret tantum virtutem causæ principalis, & non haberet actionem sibi propriam, esset tantum medium & non instrumentum. Præterea omne instrumentum propriè & formaliter sumptum, est causa efficiens: atqui de ratione causæ efficientis est operari, sive elicere aliquam actionem, non autem se habere merè passivè; ergò ut instrumentum possit esse instrumentum causæ principalis, debet habere actionem sibi propriam.

Obj. 1. Si causa instrumentalis haberet actionem sibi propriam, vel illa actio esset distincta ab actione quam elicit in virtute causæ principalis, vel non esset distincta: pri-


mum dici non potest, quia deberet habere effectum diversum ab effectu causæ principalis, & sic non esset causa instrumentalis: secundum etiam dici non potest, quia talis actio non esset prævia; ergo non est de ratione instrumenti habere actionem sibi propriam.

Resp. Actionem propriam instrumenti aliquando esse distinctam realiter ab actione causæ principalis, sicut ablutio aquæ & infusio Gratiæ in Baptismate, & tunc habent effectus distinctos realiter, aliquando verò est realiter eadem actio, & illæ actiones distinguuntur solùm virtualiter, ut patet in securi, cujus actio propria est scindere, quia hoc facit propria virtute: actio verò instrumenti est dividere artificiosè, sivè *dividendo facere lectum*, ut inquit S. Thomas, & tunc illæ actiones virtualiter distinctæ habent effectus virtualiter distinctos.

Obj. ultimò. Si instrumentum haberet actionem propriam, deberet illam exercere circa subjectum, in quo producitur effectus causæ principalis: atqui multa sunt instrumenta, quæ cum sint corporea, non possunt operari circa subjectum spirituale, v.g. Sacramenta non possunt operari circà animam, vel etiam non possunt operari circà subjectum, ut potè valde remotum. v.g. Josue circà Solem, quia illa instrumenta non possunt tangere hujusmodi subjecta: ergo non est de ratione instrumenti habere actionem sibi propriam.

Resp. distinguendo illam propositionem. Illa instrumenta non possunt tangere subjectum, contactu physico concedo, contactu virtutis nego, quia licet instrumenta, tam na-

turalia quam artificialia, debeant conjungi passo contactu physico, quia illorum virtus est finita & limitata, tamen cum infinita sit Dei virtus, non est necesse, ut instrumenta quibus utitur, sint physicè præsentia subjectis.



QUÆSTIO III.

De Causis materiali, formali, & exemplari.



STA quæstio duos dumtaxat, complectetur articulos. In 1. Quæretur quid sit causalitas causæ materialis, & causæ formalis. In 2. & ultimo. Quid sit causa exemplaris, & ad quod causæ genus reducatur.



ARTICULUS I.

Quid sit causalitas causæ materialis, & causæ formalis.

DIcendum est, causalitatem causæ materialis & formalis, non consistere in aliquo utrique superaddito, sed præcisè in communicatione propriæ entitatis.

Prob. Causalitas materiæ & formæ, est illud per quod materia & forma sunt actu causantes: atqui materia & forma fiunt actu causantes compositum per communicationem propriæ entitatis; ergo non fiunt actu causantes per aliquid superadditum. Prob. min. materia & forma causant per modum partis: atqui de ratione partis est se communicare toti: ergo materiæ & formæ causalitas consistit in tali communicatione, & proinde causalitas materiæ & formæ, non addit aliquam formalitatem supra materiam & formam.



ARTICULUS II.

Quid sit causa exemplaris, & ad quod causæ genus reducatur.

Dicendum est 1. causam exemplarem definiri formam objectam intellectui intra ipsum existentem, ad quam aspiciens artifex operatur.

Prob. & explicatur definitio. 1. Dicitur forma, quia est illud quo res aliqua arte facta determinatur extrinsecè ad certam speciem. 2. Dicitur forma objecta intellectui, ut distinguatur ab habitu & specie intelligibili, quæ non habent rationem objecti, sed tantùm sunt principium actionis. 3. Dicitur, intra ipsum intellectum existens, ut distinguatur ab imagine extrinseca, quam artifex sibi imitandam proponit. 4. Denique dicitur, ad quam aspiciens artifex operatur, ut distinguatur à forma na-

turali, quæ est principium intrinsecum operationum.

Dicendum est 2. & ultimò, causam exemplarem sive idealem, posse reduci ad causam formalem extrinsecam.

Prob. ex S. Thoma 5. Metaph. lectione 2. causa formalis, inquit, comparatur dupliciter, uno modo sicut intrinseca rei, & hæc dicitur species, alio modo sicut extrinseca à re, ad cujus similitudinem rei fieri dicitur, & secundum hoc exemplar res dicitur forma: ergo evidenter patet causam exemplarem esse causam formalem extrinsecam.



QUÆSTIO IV.

De causa finali.

QUAMVIS omnium prima & nobilissima sit causa finalis, postremo tamen loco consideratur à Physica; tum quia ejus causalitas est occultior; tum quia in executione, ad quam maximè attendit physica, est posterior.



ARTICULUS I.

Quid & quotuplex sit finis.

DIcendum est 1. finem definiri illud cujus gratia aliquid fit.

Prob. & explicatur. Causa finalis per illa vocabula convenit cum aliis causis & differt ab illis, nam materia causat recipiendo, forma actuando, efficiens influendo, finis verò movendo & alliciendo per suam bonitatem.

Dicendum est 2. finem multipliciter dividi.

1. Finis dividitur in formalem, & objectivum. Finis formalis est operatio, per quam consequimur rem aliquam. finis objectivus est illa res quam consequimur.

2. Finis dividitur in finem ultimum in suo genere, & in finem simpliciter ultimum. Finis ultimus in suo genere est ille ad quem omnia quæ sunt in illo genere, referri debent, ut victoria in bello, sanitas in medicina, sed ille finis potest referri ad alium, ut victoria refertur ad reipublicæ utilitatem. Finis simpliciter ultimus est ille, ad quem omnia referri debent, & qui ad ulteriorē finem non ordinatur, & qui appetitur propter seipsum, quique consequenter, est complementum omnium desideriorum.



ARTICULUS II.

Quænam sit ratio formalis constitutiva finis in actu primo.

NOtandum est, finem posse considerari dupliciter, scilicet in actu primo & in actu secundo. Actus primus est virtus seu potentia causandi. Actus secundus est ipsa operatio, ut in igne, actus primus est virtus calefactiva, actus secundus est ipsa calefactio. Cùm igitur finis suam potissimum causalitatem exerceat circa voluntatem, hoc est illam alliciat & moveat ad sui consecutionem, quæritur, quænam sit ratio objectiva in fine, per quam finis habet potentiam movendi voluntatem, utrum scilicet finis possit movere voluntatem, vel per bonitatem, vel per malum; ita ut voluntas possit ferri aliquando in malum, ut malum est.

Dicendum est, rationem formalem constitutivam finis in actu primo esse bonitatem finis, ita ut malum sub ratione mali, non habeat virtutem movendi voluntatem.

Prob. Illud est ratio formalis constitutiva finis in actu primo, quod habet virtutem & potentiam movendi voluntatem: atqui solum bonum habet virtutem & potentiam movendi voluntatem; ergo solum bonum est ratio formalis constitutiva finis in actu primo. Prob. min. voluntas non potest appetere malum ut malum; ergo solum bonum habet virtutem

movendi voluntatem. prob. ant. Voluntas non potest appetere & amare, nisi illud quod sibi proponitur ut conveniens : quia debet esse proportio & convenientia inter potentiam & objectum : atqui malum ut malum, non potest proponi voluntati ut conveniens; ergo voluntas non potest appetere & amare malum ut malum est. Prob. min. quod est nocivum, ingratum & abominabile, non potest proponi voluntati ut conveniens : atqui malum ut malum est nocivum, ingratum & abominabile : ergo, &c. Præterea sicuti intellectus non potest assentiri falso, nisi sub ratione veri, ita voluntas non potest appetere malum, nisi sub ratione boni, quia sicut se habet intellectus ad verum, ita se habet voluntas ad bonum.

Obj. 1. Malum ut malum potest movere voluntatem, si malum ut malum pertineat ad ipsam voluntatem : atqui malum ut malum pertinet ad voluntatem ; ergo malum ut malum potest movere voluntatem. Prob. min. bonum pertinet ad voluntatem; ergo & malum, prob. cons. Eadem est potentia oppositorum, hoc est, eadem potentia quæ attingit unum oppositum, attingit & aliud : atqui bonum & malum sunt opposita ; ergo pertinent ad eandem potentiam, nempe voluntatem.

Resp. negando min. & cons. & ad probationem dist. maj. cum sancto Thoma prima secundæ q. 8. a. 1. ad 1. Eadem est potentia oppositorum, tendens in opposita diverso modo con. eodem modo, neg. quia, ut inquit sanctus Thomas : *Voluntas se habet ad bonum & ad malum, se habet ad bonum, ad illud*

appetendũ, se habet ad malum, ad illud fugiendũ.

Inst. Atqui voluntas se habet ad malum ad illud prosequendum; ergo nulla solutio. prob. subs. Potentia libera se habet ad opposita prosequenda ex Aristotele: atqui voluntas est potentia libera, & bonum & malum sunt opposita; ergo voluntas se habet ad malum, ad illud prosequendum.

Resp. neg. sub. Ad cujus prob. dist. maj. cum S. Thoma. Potentia libera se habet ad opposita prosequenda, quæ sub objecto convenienti continentur, con. quę non continentur neg. quia ut inquit S. Thomas, nulla potentia prosequitur: nisi suum objectum conveniens: objectum autem voluntatis est bonum, unde ad illa prosequenda se habet voluntas, quæ sub bono continentur.

Inst. Iterùm. malum ut malum movet voluntatem; ergo continetur sub objecto voluntatis, prob. ant. Voluntas versatur circà malum, ut illud fugiat; ergo malum ut malum movet voluntatem ad talem fugam.

Resp. neg. ant. ad cujus prob. dist. aliud ant. voluntas versatur circa malum & movetur à bono opposito con. & movetur ab ipso malo neg. quia quando voluntas versatur circa malum ad illud fugiendum, non movetur ab ipso malo ad talem fugam, sed à bno opposito tali malo; ideò enim voluntas fugit malum, quia amat oppositum bonum.

Obj. 2. Damnati appetunt non esse: atqui non esse, nullam habet rationem boni; ergo damnati appetunt non esse ut malum.

Resp. dist. min. non esse nullam habet rationem boni, secundum se consideratum con. con-

ſideratum ſecundum quod eſſet terminativum miſeriarum quibus cruciātur damnati, neg. quia quod deſtruit naturam non poteſt habere rationem boni: atqui non eſſe ſecundum ſe conſideratum deſtruit naturam; ergo ſecudum ſe nullā habet rationem boni, ſed non eſſe comparatū ad miſerias quibus cruciantur dānati & quas illud non eſſe terminaret, habet aliquam rationem boni, non quidem poſitivi ſed privativi, quod conſiſtit in carentia mali.

Obj. 3. Angeli & primi parentes peccaverunt abſque ulla ignorantia, quia cum ignorantia ſit pœna peccati, non potuit antecedere peccatum; ergo Angeli & primi parentes appetierunt malum ut malum.

Reſp. diſtinguendo ant. Angeli & primi parentes peccaverunt, abſque ulla ignorantia propriè & formaliter ſumpta con. impropriè & virtualiter neg. quia in intellectu Angeli & hominis poſſunt reperiri quatuor defectus. Primus eſt neſcientia quæ eſt carentia cognitionis alicujus rei quam quis non tenetur ſcire. 2. Eſt ignorantia quæ eſt carentia cognitionis alicujus rei quam quiſque tenetur ſcire. 3. Eſt poſitivus error conſiſtens in falſo de re aliqua judicio. 4. Denique eſt inconſideratio privativa quæ conſiſtit in carentia actualis conſiderationis eorum quæ intellectus pro illa temporis differentia tenetur actualiter conſiderare. Primus Autem defectus neſcientia ſcilicet non potuit præcedere peccatum Angelorum & parentūm, cum enim non ſit culpabilis non poteſt eſſe cauſa peccati. Secūdus nempe ignorantia non potuit Angelorum & parentum peccatum præcedere, quia Angeli & parentes

rentes habebant cognitionem omnium rerum.
3. Defectus est error positivus, qui est gravissimum malum intellectus, non quidem malum culpæ, sed malum pœnæ, malum autem pœnæ supponit culpam, & sic non potuit esse error in intellectu Angelorum & parentum; proinde superest quod inconsideratio privativa præcessit peccatum Angelorum & parentum.

Inst. Atqui in Angelis non fuit inconsideratio; ergo nulla solutio. Prob. sub. sancti Patres docent Angelos peccasse ex malitia, & parentes ex infirmate: atqui nulla est inconsideratio in illis qui peccant ex malitia, sed potius plena consideratio & perfecta deliberatio; ergo non fuit inconsideratio in Angelis.

Resp. neg. sub & min. quia sancti Patres docentes Angelum peccasso ex malitia, & hominem ex infirmitate, volunt tantum ostendere hominẽ fuisse magis veniâ dignum quam Angelum:homo quidẽ magis erat dignus venia, quia inconsideratio, quæ præcessit peccatũ hominis, proveniebat ex infirmitate carnis cum ipso congenitæ; inconsideratio verò quæ præcessit peccatũ Angeli, proveniebat ex pura malitia, quia nihil erat in Angelo quod posset illum retrahere à consideratione quam tunc habiturus erat.

Inst. Iterum atqui non fuit inconsideratio in primis parentibus; ergo nulla solutio. Prob. sub. 1. Eva consideravit præceptum divinum; ergo non fuit in illa inconsideratio. Prob. ant. fuit admonita de Divino præcepto à serpente qui dixit, *Cur præcepit vobis Deus*; ergo Eva

considerauit preceptum. 2. Adamus peccavit nullo præsupposito errore intellectus; quia *non fuit seductus*, ut ait D. Paulus 1. ad Timotheum c. 2. ergo vidit malum ut malum.

Rep. 1. Negando sub. & ad prob. dist. ant. Eva consideravit Divinum præceptum in aliquo instanti ante peccatum con. in instanti quo peccavit neg. quia duo fuerunt Evæ proposita à serpente. 1. Serpens petiit ab Eva, cur Deus præceperat nè fructum manducarent. 2. Proposuit similitudinem Dei quando dixit, *eritis sicut dij*. In illo autem instanti quo Eva fuit admonita de præcepto Divino, consideravit præceptum. In alio autem instanti quo Evę fuit proposita Dei similitudo, non consideravit pręceptum Divinum, ipsa autem non credidit se posse fieri Deum, quia hoc tenebat impossibile, nec credidit se posse esse omnino æqualem Deo, quia eadem est impossibilitas, cum Deus sit infinitus, sed fortè credidit, ut ait Tostatus, se posse habere quandam similitudinem cum Deo, scilicet quod sicut Deus nullo alio indigebat, ita illa nullo alio indigeret & omnia sciret, & ita Eva fuit immersa in consideratione illius felicissimi status quem serpens proponebat, ut Divini præcepti considerationem abjecerit, & in illa inconsideratione peccavit.

Resp. 2. dist. authoritatem Divi Pauli. Adamus non fuit seductus ex colloquio serpentis, conc. ex inordinato mulieris amore, neg. quia serpens cum sola muliere locutus est, & licet uxor narraverit omnia quæ locutus fuerat serpens, non credidit Adamus, & ita dicitur quod non fuit seductus à serpente, sed seductus ab uxore, nam ubi uxor osten-

derit fructum vetitum, manducavit Adam, ut complaceret uxori.

Inst. Si peccatum Adami processit ex inconsideratione, sive ex judicio inconsiderato, tale judicium debuisset esse culpabile & voluntarium: atqui tale judicium non fuit culpabile & voluntarium; ergo peccatum Adami non processit ex judicio inconsiderato. Prob. min. si tale judicium fuisset culpabile & voluntarium, vel fuisset tale per actum voluntatis quem regulabat & in quo consistebat primum peccatum Adami, vel per alium actum priorem: atqui non poterat esse voluntarium per actum voluntatis quem regulabat, neque per alium actum priorem; ergo per nullum. Prob. min. quoad 1. partem: tale judicium est prius actu voluntatis quem regulabat, quia omnis regula est prior regulato & mensurato; ergo tale judicium non fuit culpabile & voluntarium per actum voluntatis quem regulabat. Prob. min. quoad 2. partem: ille actus prior debuisset regulari per aliud judicium inconsideratum de quo idem posset fieri argumentum, & sic in infinitum; ergo tale judicium non erat culpabile & voluntarium per actum priorem.

Resp. Dicendo tale judicium fuisse voluntarium & culpabile per actum voluntatis quem regulabat, quando verò dicitur tale judicium fuit prius illo actu voluntatis, distinguenda est illa propositio, judicium fuit prius in genere causæ formalis extrinsecę & regulativę conc. in genere causę efficientis nego, quia intellectus per tale judicium movit Adami voluntatem quoad specificationem, &

ideo illud judicium fuit prius ipso actu voluntatis in genere causæ formalis extrinsecę & regulativę: voluntas verò movit intellectum per suam malam volitionem, quoad exercitium, ad tale judicium inconsideratum, & ita actus voluntatis fuit prior in genere causę efficientis. Illud autem non implicat quod illi duo actus se mutuò causent, quod scilicet actus voluntatis causet actum intellectus, & quod actus intellectus causet actum voluntatis, quia illud est in diverso genere causę.

Obj. ultimò sunt aliqui qui peccant ex industria, hoc est qui cognoscentes malũ, faciunt illud; juxta illud Job. *Quasi de industria ab eo recesserunt & vias ejus intelligere noluerunt*; ergo quorumdam voluntas fertur in malum nullo præsupposito errore intellectus.

Resp. dist. conf. Quorumdam voluntas fertur in malum nullo pręsupposito errore intellectus speculativo vel practico in communi conc. practico in particulari neg. quia duplex datur error, scilicet speculativus & practicus. Speculativus est ille quo aliquis judicat licere quod non licet. Error practicus est ille quo quis judicat aliquid esse faciendum quod non licet, si judicet illud esse faciendum in communi, est error practicus in communi, si verò judicet aliquid esse faciendum in particulari quod non licet, est error practicus in particulari; in illis autem qui peccant ex industria, non est error speculativus, quia sciunt illud non licere, neque est error practicus in communi, quia sciunt in communi illud non esse faciendum, sed est error practicus in parteiulari, sive judicium

quo judicant hîc & nunc esse eligendum, quod revera eligendum non est.



ARTICULUS III.

Quaenam sit ratio formalis constitutiva finis in actu secundo.

DIcendum est, finem actu movere voluntatem, & constitui in actu secundo per actionem voluntatis, ut pendet à fine.

Prob. Illud est causalitas finis in actu secundo, per quod causa de non causante fit actu causans: atqui finis de non causante fit actu causans per actionem voluntatis; ergo actio voluntatis est ratio formalis constitutiva finis in actu secundo. Prob. min. finis constituitur in actu primo, in quantum est aliquid bonū & aptibile; ergo transit de illo actu primo ad actum secundū, in quantum appetitur & amatur: atqui actualis appetitio est actio voluntatis ut pendet à fine, sivè ut fit propter finem; ergo cum per actionem voluntatis finis transeat de actu primo ad actum secundū, finis per eandem actionem constituitur in actu secundo.

Obj. 1. Causalitas finis antecedit omnem actum voluntatis; ergo actus voluntatis non est causalitas finis. prob. ant. omnis actus voluntatis est effectus finis; ergo causalitas finis antecedit omnem actum voluntatis.

Resp. neg. ant. ad cujus prob. dist. ant. Ac-

tus voluntatis, ut est effectivè elicitus à voluntate, est effectus finis, con. actus voluntatis, ut pendet à fine, est effectus finis neg. quia actio voluntatis, sive amor finis potest considerari sub duplici formalitate. 1. Ut respicit voluntatem à qua elicitur. 2. Ut respicit finem propter quem elicitur: sic actio voluntatis quatenus est à fine præcedit se ipsam quatenus elicitur effectivè à voluntate, & proinde etiam actus voluntatis, ut respicit finem à quo dependet, est causalitas finis in actu secundo, ut verò est elicitus effectivè à voluntate, est effectus finis.

Obj. 2. Actus voluntatis, est causalitas voluntatis, quia per amorē voluntas constituitur actu amans; ergo actus voluntatis non potest esse causalitas finis.

Resp. dist. conseq. Actus voluntatis non potest esse causalitas finis, secundum eandem formalitatem con. secundum diversam neg. quia sub diverso respectu, actus voluntatis est causalitas finis, & causalitas voluntatis; siquidem amor, ut pendet à fine, & ab objecto amato, est causalitas finis, ut verò est actus vitalis procedens à voluntate, est causalitas voluntatis.



ARTICULUS IV.

Utrùm solus homo agat propter finem.

Notandum est, omnia agentia agere tribus modis. 1. Quædam sunt agentia quæ agunt propter finem quem non cognoscunt, ut lapis non cognoscit centrum ad quod tendit. 2. Alia agentia apprehendunt quidem rem quæ est finis, & ejus bonitatem, non tamen cognoscunt proportionem & habitudinem finis ad media, & mediorum ad finem, & ita non cognoscunt finem formaliter, ita equus apprehendit avenam, tanquam rem quandam quæ est finis materialiter, non verò formaliter, quia non cognoscit habitudinem quam avena dicit ad media, hoc est ad agrorum culturam, unde equus non est sollicitus colendi agros. 3. Alia denique agentia non solum apprehendunt rem quæ est finis, sed etiam apprehendunt finem formaliter, hoc est, cognoscunt habitudinem quam dicit finis ad media. v. g. homo non solum cognoscit bonitatem fructuum, sed etiam cognoscit habitudinem quam dicunt fructus ad media necessaria, ad procurandos tales fructus, ut sunt cultura, irrigatio, impinguatio agrorûm, unde illa omnia facit homo sollicitus, ut singulis annis copiosos fructus possit percipere.

Dicendum est, omnia agentia naturalia agere propter finem, sed diversimodè. Agentia

quæ nullomodo cognoſcunt finem, agunt propter finem executivè, quia eliciunt actiones tendentes ad finem quem non cognoſcunt, ut ſagitta tendit ad ſcopum quem non cognoſcit. Agentia illa quæ apprehendunt rem quæ eſt finis, & ejus bonitatem agunt propter finem, non ſolùm executivè, ſed etiam apprehenſivè, quatenus apprehendunt finem, propter quem operantur. Agentia deniquè quæ cognoſcunt formaliter bonitatem finis, agunt propter finem directivè, quatenus ſe in finem dirigunt; alia verò agentia diriguntur ab authore naturæ.

Prob. Omnia agentia in communi agere propter finem, quia ſi tolleretur cauſa finalis, agentia nullomodò agerent: atqui illud non poteſt dici; ergo nec aliud. prob. maj. ſi tolleretur cauſa finalis, tollerentur aliæ cauſæ; ergo ſi tolleretur cauſa finalis, agentia naturalia non agerẽt. prob. ant. ſublata primâ causâ tolluntur & aliæ; quia ſublato primo movente ceſſant ſecunda moventia: atqui cauſa finalis eſt omnium prima, ut docet S. Thomas; ergo ſublata cauſa finali tolluntur aliæ cauſæ, & proinde omnia agentia naturalia agunt propter finem, ſed ſolus homo agit propter finem directivè, quia ſolus homo cognoſcit habitudinem finis ad media, & mediorum ad finem.

QUÆSTIO V. & ULT.

De Causis per accidens.

TRES tantum complectetur articulos ista quæstio. In 1. Disputabitur de fortuna & casu. In 2. De fato. In 3. De monstro.

ARTICULUS I.

Quid sint fortuna & casus, & an dentur.

DIcendum est 1. fortunam & casum definiri causas per accidens efficientes, ex quibus præter intentionem sequitur effectus.

Prob. & explicatur talis definitio. Quando fortuna & casus dicuntur causæ efficientes, per hoc conveniunt cum cæteris causis efficientibus. per cæteras verò particulas contentas in definitione, differunt ab aliis causis efficientibus. fortuna autem & casus inter se differunt, quia fortuna dicitur esse ex electione, casus verò non dicitur ex electione. fortuna dicitur ex electione, non quod fortuna agat ex electione, consilio & proposito, sed quia fortu-

ma dicitur de caussis quæ agunt ex electione & deliberatione, ut quando Absalon fugiens implicatis arboris ramis capillis suspensus hæsit, illud tribuitur fortunæ, quia non intendebat talem effectum, sed fugam. Casus verò non dicitur ex electione, quia convenit causis quę non agunt ex deliberatione, ut quando ex effusa imbrium copiâ tumescunt flumina, & domos & agros devastant, illud tribuitur casui, quia finis pluviæ non est agrorum & domorum devastatio, sed tantum terræ humectatio.

Dicendum est 2. & ultimò, non dari fortunam & casum respectu Dei, bene tamen respectu Angelorum & hominum.

Prob. conclusio quoad primam partem ex Divo Augustino, & ex Divo Thoma. 1. Divus Augustinus lib. 3. de Trinitate cap. 4. docet quod *nihil fit visibiliter & sensibiliter in ista totius naturæ amplissimâ & immensa republica, quod non in interiore & invisibili aulâ summi Imperatoris, aut jubeatur, aut permittatur.* 2. Divus Thomas hoc ipsum explicat isto exemplo. Si duo servi, inquit, alicujus Domini mittantur ab eo ad eundem locum, uno de altero ignorante, concursus duorum servorum, si ad ipsos servos referatur, casualis est, quia accidit præter utriusque intentionem, Si autem referatur ad Dominum, non est aliquid casuale, sed per se intentum; ergo cum omnia jubeantur aut permittantur à Deo, & cum Deus omnia cognoscat, nihil potest esse fortuitum & casuale respectu Dei.

Prob. Conclusio quoad secundam partem. Plurima possunt evenire in illis quæ fiunt ab Angelis & hominibus præter intentionem,

quia nulli creaturæ convenit cognitio rerum naturalium; ergo multi effectus possunt fortuitò evenire, quia quod est ignoratum ab aliquo, potest fieri præter illius intentionem. v.g. Si Deus præcipiat Angelis, ut evertant aliquam Civitatem, ex cujus Civitatis eversione debet sequi civium conversio, & Deus non declaret Angelis futuram civium conversionem, tunc illa conversio erit casualis respectu Angelorum, quia eveniet præter illorum intentionem.



ARTICULUS II.

De Fato.

DIcendum est, fatum definiri à Philosophis Catholicis, ordinationem & dispositionem causarum secundarum, derivatam à divina providentia, ad executionem effectuum quos per ipsas disponit exequi & exercere.

Prob. & explicatur authoritate Boëtii de Consolatione Philosophiæ prosa 6. *Fatum*, inquit, *est immobilis dispotio rebus mobilibus inhærens, per quam providentia suis quæque vertit ordinibus*: atqui fatum non potest esse immobilis dispositio, nisi quatenus est ordinatio causarum secundarum derivata à divina providentia; ergo fatum rectè definitur à Philosophis Catholicis dispositio causarum secundarum derivata à divina providentia ad executionem effectuũ. Nullum autem dubium

est, quin detur fatum, prout ab ipsis Catholicis sumitur.



ARTICULUS III.

De Monstro.

Dicendum est 1. monstrum, quod nihil aliud est quam naturalis effectus à recta & ordinaria secundum speciem dispositione degenerans, habere diversas causas.

Prima causa monstrorum, est penuria materiæ, ex qua oriuntur minuta corpora.

Secunda causa est, abundantia materiæ quâ fit, ut debitam magnitudinem excedant, quales fuerunt gigantes.

Tertia causa est, confusio, vel permixtio materiæ diversæ naturæ, tales fuerunt illi infantes nati ex muliere & Elephante.

Quarta causa est, qualitatum temperies, & combinatio, unde fit, ut aliquando nimio calore, vel nimia humiditate, pueri nascantur barbati, vel canescant in infantia.


Quinta est, parentum imaginatio, ut patet plurimis exemplis.

Ultima denique est, Deus maximus, qui in pœnam alicujus peccati permittit hujusmodi monstra, quales fuerunt illi qui in Anglia nascebantur cum cauda equina.

Dicendum est 2. & ultimò, monstrum intendi à natura universali, non verò à natura particulari.

Prob.

Prob. Utraque pars ex S. Thoma, qui q. 6. de potentia a. 2. ad 1. ait licet monstra non fiant contra naturam universalem, fiunt tamen contra naturam particularem, quia omnis causa particularis intendit sibi assimilare suum effectum: atqui monstrum non est simile causæ particulari; ergo monstrum non intenditur à causa particulari.




TRACTATUS III.

De proprietatibus entis mobilis.



OST principia intrinseca & causas entis mobilis explicatas, examinandæ occurrunt ejusdem entis mobilis proprietates, ut perfecta habeatur cognitio objecti quod consideratur à Physica. Iste ergo tractatus quinque complectetur quæstiones in quarum. 1. Agetur de quantitate. In 2. de continuo. In 3. de infinito. In 4. de tempore. In 5. de loco & vacuo.



QUÆSTIO I.

De quantitate.

Cum quantitas communiter censeatur omnium proprietatum corporis naturalis origine prima, veluti cæterarum fundamentum. In 1. istius tractatus questione agetur de quantitate, circa quam plurima querentur in novem articulis.



ARTICULUS I.

de distinctione quantitatis à substantia contra Nominales.

Dicendum est contra Nominales quantitatem distingui realiter à substantia.

Prob. Illa distinguuntur realiter, quæ separantur realiter: atqui quantitas & substantia separãtur realiter; ergo distinguuntur realiter. Prob. min. in Eucharistiæ sacramento non remanet substantia panis,& tamen remanet ejus quantitas; ergo quantitas & subst ãtia separantur. Prob. ant. ubi remanent effectus formales quãtitatis, ibi remanet quantitas: atqui in.

Eucharistia remanent effectus formales quantitatis ; ergo remanet quantitas. Prob. min. effectus formales quantitatis sunt reddere aliquid extensum & impenetrabile : atqui hostia consecrata est extensa in loco impenetrabiliter ; ergo effectus formales quantitatis remanent in hostiâ consecratâ.

Respondent Nominales quod in Eucharistiâ non remanet quantitas panis, sed destruitur unâ cum substantia panis : hostia tamen remanet extensa in loco, & impenetrabilis ab alia hostia, quia in ea remanent qualitates & accidentia, quorum quodlibet habet suam quantitatem sibi identificatam ratione cujus quantitatis hostia remanet extensa in loco & impenetrabilis.

Sed contra illam responsionem cum Vincentio nostro. 1. *Si omnia accidentia haberent suam quantitatem propriam per quam essent impenetrabilia, non possent se compati in eodem loco, sicut enim sunt inter se diversa specie, ita diversam impenetrabilitatem habent, & proindè neque in eadem substantiâ panis possent recipi : neque inter se penetrari, quod evidenter falsum est.*

2. *Si hujusmodi accidentia, ut calor, sapor, albedo penetrant se in hostiâ eadem, cur nõ possunt penetrari cum similibus accidentibus alterius hostiæ etiam consecratæ* : atqui illa accidentia non se penetrant cum similibus accidentibus alterius hostiæ ; ergo hujusmodi accidentia non se petant in eadem hostia.



ARTICULUS II.

De sententia Cartesii circa distinctionem quantitatis à substantia, sive circa essentiam corporis

NOtandum est 1. quod Cartesius cum Nominalibus convenit in eo quod doceat quantitatem non distingui à substantia; sed in hoc ab illis differt, quod non tantum velit quantitatem idétificari cum substantia, sed & docet præterea extensionem esse totam essentiam corporis: ait enim 1. parte principiorum num. 53. *Extensio in longum, latum & profundum substantiæ corporeæ naturam constituit.*

Notandum 2. Quod licet, clarè & evidenter Cartesius doceat extensionem cōstituere essentiam corporis, quidam tamen ejus discipuli famæ & pietati Cartesii consulentes asserunt hanc non esse Cartesii sententiam, eo quod illam in fide valdè periculosam existiment. Tribus ergo diversis modis jam allatam Cartesii auctoritatem interpretantur.

Primi dicunt, quod quando Cartesius asserit extensionem in longum, latum & profundum cōstituere naturam substantiæ corporeæ, loquitur tantùm de extensione radicali, non verò de extensione actuali; ita ut Cartesius doceat tantùm essentiam corporis sitam esse in extensione radicali.

Nonnulli verò dicunt, quando Cartesius docet, extensionem in longum, latum & profundum, substantiæ corporeæ naturam constituere, per naturam non intelligere illum, essentiam, sed tantum statum naturalem corporis; ita ut sensus illius propositionis sit, quod extensio non pertinet ad essentiam corporis, sed tantùm ad statum naturalem; ita ut corpus in statu naturali consideratum sit semper extensum.

Alij demùm ingenuè confitentes Cartesium loqui de extensione actuali, & per naturam nihil intelligere aliud quàm essentiam, dicunt illum non asserere, quòd extensio constituat naturam corporis, sed tantùm quòd videtur extensionem esse essentiam corporis, si rationibus naturalibus attendatur: quia tamen opinio asserens, extensionem constituere naturam corporis, est contraria Sacro-sancto Eucharistiæ Sacramento, credit Cartesius, quod aliquid aliud est in corpore, per quod essentia corporis constituitur,

Dicendum est 1. Cartesium docere extensionem actualem constitüere essentiam corporis.

Prob. Ex ipsomet Cartesio, extensio quæ constituit spatium est actualis. (Docet enim quod non potest concipi cavitas vasis, sive spatium quod reperitur inter latera vasis, quin concipiatur extensio actualis alicujus substantiæ.) Illa omnia desumuntur ex Cartesio 2. parte principiorum num 18. *Considerare oportet nullam quidem esse connexionem inter vas, & hoc vel illud corpus particulare, quod in eo continet ur; sed esse maximam ac omninò necessa-*

riam inter vasis figuram concavam, & extensionem in genere sumptam, quæ in ea cavitate debet contineri: adeò ut non magis repugnet nos concipere montem sine valle, quam intelligere istam cavitatem absque extensione in ea cõtenta, vel hanc extensionem absque substantia quæ sit extensa: quia, ut sæpe dictum est, nihili nulla potest esse extensio. Atqui ex eodem Cartesio, eadem extensio quæ constituit spatij naturam, constituit etiam corporis essentiam; siquidem parte 2. num. 10. ait, *Extensio in longum latum & profundum, quæ spatium constituit, eadem planè est cum illa quæ constituit corpus*, ergò ex Cartesio, extensio quæ constituit naturam corporis est actualis.

Dicendum est 2. Cartesium, per naturam substantiæ corporeæ, non intelligere statum naturalem, sed essentiam; ita ut secundum Cartesium, extensio actualis non sit tantum naturalis corpori, sed essentialis, id est non tantùm conveniat statui naturali corporis sed etiam ipsius essentiæ.

Prob. Si extensio actualis pertineret tantùm ad statum naturalem corporis, non verò ad essentiam. 1. posset minui extensio & non minui substantia. 2. Posset concipi corpus, etiamsi non conciperetur extensio. 3. Concipere corpus sine extensione, non esset habere ideam confusam substantiæ incorporeæ: atqui ex Cartesio 1. non potest minui extensio, quin minuatur substantia, siquidem 2. part. num. 8. *In re fieri non potest ut vel minimum quid ex extensione tollatur, quin tantumdem etiam de substantia detrahatur.*

2. Ex Cartesio non potest concipi corpus,

quin concipiatur extensio; si enim corpus concipiatur sine exensiône; nihil concipitur. Sic enim pergit loco laudato num. 9. *Et quamvis forte nonnulli aliud dicant, non puto tamen ipsos eâ de re aliud percipere; sed cum substantiam ab extensione distingunt, vel nihil per nomen substantiæ intelligunt, vel confusam tantùm substantiæ incorporeæ ideam habent, quam falso tribuunt corporeæ; hujusque substantiæ corporeæ veram ideam extensioni relinquunt.*

3. Concipere corpus sine extensione, est habere ideam confusã substantiæ incorporeæ, ut patet ex ipsa auctoritate jam allatâ; ergò ex ipso Cartesio extẽsio actualis non pertinet tantùm ad statum naturalem substantiæ. Major est evidens; ex eo enim quòd calefactio actualis non est essenitalis igni, sed tantùm naturalis, hoc est quia calefactio actualis non pertinet ad essentiam, sed tantùm ad statum naturalem ignis; potest minui, imo & tolli calefactio actualis, & tamen non minuitur nec tollitur substantia ignis, ut factum fuit in igne fornacis Babylonicæ; minor etiam probata fuit ex ipso Cartesio, ergo &c.

Dicendum est 3. Cartesium velle & asserere; quòd extensio actualis non tantum videtur constituere naturam corporis, sed quod reverà eam constituit.

Prob. Verum est juxta Cartesium extensionem actualem de facto constituere naturam corporis; ergo non tantum videtur quod extensio actualis constituat naturam corporis, sed de facto eam constituit. prob. ant. Illud omne verum est quod clarè cognoscitur à Cartesio, juxta istud Cartesij principium, ait

enim meditatione 5. *Fusè demõstravi illa omnia quæ clarè cognosco esse vera*, & in differt. de methodo num. 4. *pro regula assumpsi, illa omnia, quæ clarè & distinctè concipimus, vera esse*: atqui clarè cognovit Cartesius extensionem actualem de facto constituere naturam corporis. *Extensio*, inquit, 1. parte princ. num 53. *in longum, latum & profundum substantiæ corporeæ naturam constituit, & cogitatio constituit naturam substantiæ cogitantis*, & paulò post subjungit: *Atque ita facilè possumus duas claras & distinctas habere notiones sive ideas, unam substantiæ cogitantis creatæ, aliam substantiæ corporeæ*; ergo verum est juxta Cartesium extensionem actualem de facto constituere naturam corporis.



ARTICULUS III.

Utrùm sententia Cartesij asserentis extensionem actualem constituere essentiam corporis, sit contraria doctrinæ Concilij Tridentini circa Eucharistiæ Sacramentum.

DIcendum est, sententiam Cartesij esse contrariam doctrinæ Concilij Tridentini, circa Eucharistiæ Sacramentum.

Prob. Doctrina Concilij Tridentini circa Eucharistiæ Sacramentum, est ista.

1. Quòd Corpus Christi est totum & integrum in Eucharistiæ sacramento sub specie panis & vini.

2. Quod Corpus Christi est totum & integrum sub qualibet ipsius speciei parte. Hæc duo desumuntur ex verbis sacro-sancti Concilij cap. 3. sess. 13. *Totus enim est & integer Christus sub panis specie, & sub quavis ipsius speciei parte.*

Atqui sententia Cartesij asserentis extensionem actualem constituere naturam corporis, est contraria tali doctrinæ quantum ad illa, cùm ex prædicta Cartesij sententia sequatur, Corpus Christi non esse integrum sub specie panis & sub qualibet speciei parte; ergò sententia Cartesij est contraria doctrinæ Concilij Tridentini circa sacramentum Eucharistiæ. Prob. min. quoad utramque partem.

1. Quantum ad primam partem. Christus non habet juxta Cartesium in Eucharistia totam substantiam quam habebat in Cruce; ergo Corpus Christi non esset totum & integrum, prob. ant. Christus non habet totam extensionem quam habebat in cruce, ut patet; ergo non habet totam substantiam, quia non potest minui extensio, quin minuatur substantia, nam parte 2. princ. num. 2. *In re fieri non potest, ut vel minimum quid ex extensione tollatur, quin tantumdem etiam de substantia detrahatur.*

2. Prob. quoad secundam partem ex sententiâ Cartesij sequitur, Corpus Christi non esse totum & integrum sub qualibet speciei parte; ergo sententia Cartesij est contraria doctrinæ Concilij Tridentini, prob. ant. ut Corpus Christi sit totum & integrum sub qualibet speciei parte, partes corporis debent se penetrare, ita ut una debeat esse intra

aliam: si enim caput, manus, pedes, & cæteræ corporis partes non se penetrarent, & non essent in eodem loco & in eadem speciei parte; illæ partes ita se haberent, ut una esset extra aliam, & proinde essent in diversis locis, & consequenter totum & integrum Christi Corpus non esset sub qualibet speciei parte; atqui ex sententia Cartesij sequitur partes corporis non posse absolutè se penetrare; ergo ex sententia Cartesij sequitur Corpus Christi non esse totum & integrum sub qualibet speciei parte; prob. min. repugnat ex Cartesio quòd partes corporis se penetrent; ergo ex sententia Cartesij sequitur, partes corporis absolutè & divinitùs non posse se penetrare, prob. ant. Si partes corporis absolutè & divinitùs possent se penetrare, posset aliquid ex extensione tolli, quin tantumdem de substantiâ detraheretur, si enim manus penetraretur cum brachio, illæ partes aliquid substantiæ non perderent, & tamen aliquid extensionis amitterent: atqui ex Cartesio repugnat partes aliquid extensionis amittere, & non simul amittere aliquid substantiæ; ergo repugnat ex Cartesio quòd partes corporis se penetrent, prob. min. ex Cartesio 2. parte, num. 8. *Planè repugnat aliquid nova extensione augeri, quin simul etiam nova substantia extensa, hoc est novum corpus ei accedat*: Ergo repugnat ex eodem Cartesio partes aliquid extensionis amittere, quin simul de substantia aliquid detrahatur, quia juxta Cartesij doctrinam tam difficile & impossibile est, ut corpus aliquid ex extensione perdat; quin simul aliquid de substantia tollatur. Quàm

difficile & impossibile est, ut corpus acquirat novam extensionem, quin acquirat novam substantiam.

Respondent nonnulli Cartesiani invictissimo allatæ rationis robore convicti, se tantum esse Philosophos, & proinde quod non possunt respondere argumento ex Theologia & mysterio fidei desumpto, & ita nolunt respondere auctoritati Concilij Tridentini, quia illud tantum pertinet ad Theologos. Ita præcipuè Roaltus 1. part. phisc. cap. 7. num. 9. idem docet Dom. Calli in scientia generali membr. 2. art. 1. sect. 2. *Id*, inquit, *solvere Theologorum est.*

Sed contra. ergo Cartesiani, qui se tantùm Philosophos profitentur, debent rejicere sententiam Cartesij asserentis extensionem actualem constituere essentiam corporis, cum illa sententia sit contraria mysterio fidei, prob. consequentia: omnes Philosophi ex Concilio Lateranensi sub Leonē X. tenentur conclusiones quæ sunt contra fidem rejicere, ait enim sess. 8. *Omnibus & singulis Philosophis in universitatibus studiorum generalium, & alibi publicè legentibus districtè præcipiendo mandamus; ut cum Philosophorum principia aut conclusiones, in quibus à recta fide deviare noscuntur, auditoribus suis legerint, seu explicaverint quale est ... & ali a hujusmodi; teneantur eisdem veritatem religionis christianæ omni conatu manifestā facere; & persuadendo pro posse docere, ac omni studio hujusmodi Philosophorum argumenta, cùm omnia solubilia existant pro viribus excludere atque resolvere*; ergò debent rejicere sententiā Cartesij quæ est contra fidem, ut jam probatum fuit.

Respondet alter Cartesianus, quod potest clarè, facilè & dilucidè explicare, quomodo sententia Cartesii circà essentiam materiæ sive Corporis, optimè conveniat cum misterio Eucharistiæ, sed illud necessarium esse non putat, quia *modi*, inquit, *quibus explicantur misteria fidei non sunt de fide*, ita de fide est, quod Corpus Christi est in Eucharistia, sed de fide non est modus quo Corpus Christi est in Eucharistia, sufficit autẽ ut credamus quod Christus est in Eucharistia, & non est inquirendus modus, quo Christus est in illo Sacramento, ita Auctor libri, qui inscribitur gallicè, *La Recherche de la verité*, Tomo 1. lib. 3. cap. 8.

Sed contra: atqui modus quo Christus est in Eucharistia, est de fide; ergo nulla responsio. prob. subs. ille modus est de fide, qui est determinatus à Concilio Tridentino: atqui modus quo Christus est in Eucharistia, est determinatus à Concilio Tridentino, docet enim quod Corpus Christi est totum & integrum, sub specie panis, & sub qualibet illius parte, quod idem est ac determinare modum, quo Corpus Christi est in Eucharistia; ergo modus quo Christus est in Eucharistia, est de fide.

Præterea alii modi, quibus explicantur alia fidei misteria, sunt de fide: Ecclesia non tantum definit tres esse in Trinitate personas realiter distinctas, quod est tota illius misterii substantia, sed explicat etiam quomodo distinguantur, definiendo, quod Pater à nullo procedit, quod Filius procedit à Patre, & quod Spiritus Sanctus procedit à Patre & Filio; ergo falsa est propositio illa universaliter sumpta,

sumpta, in qua dicitur, quòd modi, quibus explicantur fidei misteria, non sunt de fide.

Respondent alii Cartesiani, quòd Corpus cognitum lumine naturali rationis, habet pro essentia extensionem actualem, non vero Corpus cognitum lumine supernaturali fidei.

Sed quam absurda sit illa responsio, nemo non videt; sequitur enim quod essentia Corporis mutatur, secundũ diversum modum quo cognoscitur, vel etiam sequitur, quod idem Corpus habet duplicem essentiam: atqui illa duo non possunt dici. Prim: quidé non potest dici; quia secundum omnes Philosophos essentiæ rerum sunt immutabiles. Secũd. etiam non potest dici; quia si Corpus Christi cognitũ lumine naturali rationis, & cognitum lumine supernaturali fidei, haberet duas essentias distinctas realiter, sequeretur, quod Corpus Christi non esset unum, sed duplex: ubi enim sunt duæ essentiæ constituentes Corpus, ibi sunt duo Corpora constituta: atqui non potest dici, quod Corpus Christi fuerit duplex; quia sic posset dici, quòd Filius Dei bis fuerit incarnatus; ergo Corpus Christi non habet duas essentias. Præterea illa responsione volunt docere Cartesiani, quòd ratio quidem convincit extensionem actualem constituere essentiam Corporis, & quod tamen fides oppositum docet, ex qua responsione optimè concluditur; ergo Cartesius nullomodo potest asserere, quòd extensio actualis constituat essentiam Corporis, quia Philosophus Catholicus non debet sequi lumen naturale rationis, quando fides aliud docet. *Sunt enim*, inquit, Dom. de Laville, in suo examine Philosophiæ

Cartesianæ 2. parte cap. 4. art. 1. num. 15. *tres modi quibus possumus cognoscere veritatem, nempè sensu, ratione & fide, illa tamen tria sunt inter se subordinata. Fides superat rationem, sicut ratio sensum: sicut ergo ratio debet corrigere sensuum errores, ita fides debet corrigere rationis errores; unde sequitur quod quando sensus & ratio non conveniunt, potiùs credendum rationi quam sensibus, similiter quando fides & ratio non videntur convenire, Catholicus debet potiùs sequi lumen fidei, quam lumen rationis.*

Obj. 1. Ratio, quæ desumitur ex Sacro Eucharistiæ misterio, nihil probat contra sententiam Cartesii; ergo &c. prob. ant. ratio obscura & incomprehensibilis nihil probat contra sententiam Cartesii: atqui ratio, quæ desumitur ex sacro Eucharistiæ misterio, est obscura & incomprehensibilis; ergo nihil probat contra sententiam Cartesii. prob. min. sacrum Eucharistiæ misterium est obscurum, incomprehensibile & ineffabile; ergo ratio quæ desumitur ex sacro Eucharistiæ misterio, est obscura & incomprehensibilis. ex quibus omnibus cõcludit Dom. Calli in Scientia generali membro 2. art. 1. sect. 2. *Non ideo perspicua neganda sunt, quòd obscura animo comprehendi nequeunt: atqui Corpus esse rem extensam perspicuum est, modus autem quo Christi Corpus est in Eucharistia, ut fidei misterium est, sic obscurum: ne igitur obscurum fidei misterium alio obscuriore misterio explicare videamur, illud credendum relinquimus, dum hoc demonstrare conamur.*

Resp. neg. ant. ad cujus probationem dist.

maj. ratio obscura, incomprehensibilis,& non certa,nihil probat con. ratio obscura,incomprehensibilis & certa, nihil probat neg. quia ratio quæ desumitur ex misterio certa est certitudine fidei, quæ certitudo ęquivalet evidentiæ.

Obj. 2. Sententia Cartesii asserentis extensionem actualem constituere essentiam corporis non est contraria doctrinæ Cócilii Tridentini; ergo in hoc non est rejicienda. prob.ant. una veritas non potest esse contraria alteri veritati. *Cum una*,inquit Cartesius in epistola ad P. Dinet Præpositum Provincialem Soc. Jesu per Franciam, quæ habetur post responsiones & objectiones septimas Amstelodami excusas 1670. *veritas alteri adversari nunquam possit, esset impietas timere, ne veritates in Philosophia inventæ, iis quæ sunt de fide adversentur*: atqui sententia Cartesii asserentis extensionem actualem constituere essentiam corporis,est veritas evidentissima in Philosophia, & doctrina Cócilii Tridentini circa Eucharistię Sacramentum est altera veritas; ergo sententia Cartesii non potest esse contraria doctrinę Concilii Tridentini.

Resp. 1. neg. ant. ad cujus prob. neg. min. quia sententia Cartesii nullomodò est vera, ut jam probatum fuit.

Resp. 2. Quod maximè peccat Cartesius quando dicit, quod ipsius sententia circa essentiam corporis non adversatur fidei, in hoc enim Catholicum Philosophum non agit cujus munus est in rebus etiam Philosophicis ad fidem potiùs tanquam ad regulam certissimam confugere, quam ad lumen naturale rationis,

quæ sæpissimè fallitur. Cartesius tamen dùm corporis essentiam inquirit, ad rationem potiùs quam ad fidem confugit; ita ut velit rationi fidem subjicere, non verò rationem fidei.

Obj. 3. Essentia Corporis Christi non consistit in extensione, & proinde Corpus Christi potest ibi esse inextensum & penetrabile; ergo sententia Cartesii non adversatur doctrinæ Concilii Tridentini.

Resp. 1. Quòd admisso antecedente, propositio Cartesii asserentis extensionem actualem constituere essentiam corporis, non est universaliter vera, quia illa propositio asserens extensionem actualem constituere essentiam corporis, non est universaliter vera, quæ admittit aliquod verum & reale corpus essentialiter non constitutum per extensionem: atqui ut conceditur in antecedente illa propositio admittit Corpus Christi essentialiter non constitutum per extensionem; si autem non sit universaliter vera, nullomodò vera est, quia quod est essentialiter tale, semper est tale, & quod convenit corpori in communi, debet conuenire cuilibet corpori in particulari juxta tritum principium, *dici de omni.*

Instabis: atqui propositio est universaliter vera, licet non sit vera respectu Corporis Christi; ergo nulla solutio. prob. subs. ista propositio, *quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se*, est universaliter vera; licet non sit vera in Trinitate, in qua licet tres personæ sint unum, & idem cum natura, non sunt tamen unum & idem inter se; ergo à pari ista propositio (*extensio actualis constituit essentiam*

corporis,) est universaliter vera, licet non sit vera respectu corporis Christi. Illud argumentum desumitur ex auctore Anonymo libri qui inscribitur, *La recherche de la verité tom. 1. liv. 3. chap. 8. nomb. 2.*

Resp. 1. neg. subs. ad cujus prob. neg. ant. illud enim axioma semper est verum in divinis & humanis, non quidem absolutè, sed cum ista modificatione, sive distinctione, hoc est, quando plurima sunt eadem cum uno tertio incommunicabili, sunt eadem inter se, quando verò plurima sunt eadem cum unò tertio communicabili non sunt eadem inter se, neque in humanis, neque in divinis. Illud autem tertiũ debet esse incommunicabile, quia singulare quod communicatur plurimis suppositis, est sicuti species communis pluribus individuis, quæ quidem est idem cum suis differentiis individualibus; sed differentiæ individuales non sunt idẽ inter se, ita natura divina singularis, est certè idem cum diversis suppositis quibus communicatur, sed illa supposita non sunt idem inter se, quia se habent, sicuti differentiæ quæ opponuntur inter se, licet non opponantur naturæ cui sese communicant, & ideo illud axioma dicitur non valere in divinis, non ex eo præcisè quod res divinæ sunt divinæ, sed quia non habent conditionem requisitam ad veritatem illius axiomatis, non habent scilicet aliquid singulare incommunicabile, quæ conditio si non reperiretur in rebus humanis, illud etiàm axioma non valeret in rebus humanis.

Resp. 2. neg. ant. ad cujus probationem neg. cons. & paritatẽ quia nulla paritas est in-

ter duas propositiones quæ non se habent eodem modo, quales sunt istæ, *quæ sunt eadem uni tertió sunt eadē inter se*, & *extensio actualis constituit essentiam corporis*. Prim. enim propositio universaliter sumpta, sive sine ulla modificatione & distinctione usurpata, est falsa, quia nō est essentialis, se habet enim sicuti ista propositio, *omne animal est rationale*, quę non est essentialis, & universaliter sumpta est falsa; quod autem illæ duæ propositiones non se habeant eodem modo illud manifestè constat quia ideo ista propositio, *omne animal est rationale*, non est essentialis, quia cognoscimus aliquod animal nempe hominem esse rationale, & aliquod animal nempe leonem non esse rationale, sed cognoscimus etiam quod aliqua quæ sunt eadem uni tertiò sunt eadem inter se, ut in Isaac, pater Jacob & filius Abrahæ non differunt inter se, quia non differunt ab ente Isaac, & cognoscimus quod aliqua quæ sunt eadem uni tertio, non sunt idem inter se ut in Trinitate in qua tres personnæ sunt idem cum natura & tamen non sunt idem inter se; ergo illa propositio non est essentialis, & proinde universaliter est falsa: ista autem Cartesii propositio, *extensio constituit essentiam corporis*, est essentialis ex ipso Cartesio, qui vult quod tota essentia corporis consistit in extēsione, & proinde illa propositio est universaliter vera; ergo quælibet propositio contenta sub illa universali est vera; ergo vera est ista propositio particularis. *Essentia corporis Christi in Eucharistiæ Sacramento consistit in extensione in longum, latum & profundum.*

Obj. ult. corpus Christi in Eucharistia non habet suam essentiam; Deus enim potest privare quamlibet rem suâ essentiâ; ergo sentẽtia Cartesii asserentis extensionem actualem constituere essentiam corporis, non repugnat Eucharistiæ Sacramento.

Resp. neg. ant. quòd autem essentiæ rerum sint immutabiles; jam contra Cartesianos probatum fuit in Metaphysica.



ARTICULUS IV.

Utrum sententia Cartesii asserentis extensionem actualem constituerè essentiam corporis, sit conformis erroribus Calvini circa Eucharistiæ Sacramentum.

Dicendum est sententiam Cartesii esse conformem erroribus Calvini circa Eucharistiæ Sacramentum.

Prob. Ex sententia Cartesii sequitur error Calvini circa Eucharistiæ Sacramentum; ergo sententia Cartesii est conformis erroribus Calvini. Prob. ant. error Calvini circa Eucharistiæ Sacramentum est, quod corpus Christi non est verè & realiter in Eucharistia, sed tantùm figurativè: sed ex sententia Cartesii sequitur idem error; ergo ex sententia Cartesii sequitur error Calvini circa Eucharistiæ Sacramentum. Prob. min. doctrina, ex qua Calvinus infert, corpus Christi non posse verè & realiter in Eucharistia esse, est eadem, ac ipsa quam nunc docet Cartesius; ergo ex

sententia Cartesii sequitur error Calvini circa Eucharistiæ Sacramentum. Prob. ant. doctrina Calvini est ista. 1. Docet extensionem esse essentialem corpori. 2. Penetrationem partium esse naturaliter & supernaturaliter impossibilem. 3. Ex illis duobus tanquam ex præcipuis rationibus concludit corpus Christi non posse verè & realiter esse in Eucharistia: sed doctrina Cartesii est eadem: Docet enim illa duo, ut patet ex dictis; ergo doctrina ex qua Calvinus infert corpus Christi non esse verè & realiter in Eucharistia est eadem ac illa quam nunc docet Cartesius. Prob. maj. quoad tres partes.

1. Docet Calvinus extensionem esse essentialem corpori; docet enim, in institutione Christianæ religionis cap. 18, num. 23, quod *hæc est propria corporis veritas ut suis dimensionibus constet*: atqui docere quòd, *propria corporis veritas est, ut suis dimensionibus constet*, est docere quod extensio est essentialis corpori, quia per veritatem intelligit certè essentiam, ergo Calvinus docet extensionem esse essentialem corpori.

2. Docet quod partes sunt impenetrabiles siquidē docet, quod repugnat mensurā auferri corpori; loco enim citato dicit, *talē Christi in Cœna præsentiā cogitemus, quæ nec mensuram illi suam auferat, nec immensam illi magnitudinem affingat: hæc enim humanæ naturæ non obscurè repugnant*: atqui repugnare quod mensura auferatur corpori idem est ac docet quod partes sunt supernaturaliter impenetrabiles; ergo Calvinus docet partes corporis esse omnino impenetrabiles.

3. Calvinus ex his duobus principiis infert corpus Christi non esse verè & realiter in Eucharistia: ideo enim ex Calvino corpus Christi nō est in Eucharistia, quia caro Christi esset caro & nō esset caro; esset caro ut supponeretur, & non esset caro quia non haberet partes extra partes, ait enim loco jam citato num. 27. *Insane quid à Dei potentia postulas ut carnem faciat simul esse & non esse carnem proinde ac si insles, ut lucem faciat simul esse lucem, & tenebras, & lucem vult esse lucem, tenebras, tenebras, carnem, carnem .... carnem igitur carnem esse oportet, Spiritum, Spiritum: unùmquodque qua à Deo lege & conditione creatum ea vero est carnis conditio, ut sua dimensione constet*, & proinde clarè patet sectatorem Calvini ex duobus Cartesii principiis jam cōfutatis posse rectè inferre corpus Christi non esse verè & realiter in Eucharistia; ergo sententia Cartesii asserentis extensionem actualem constituere essentiam corporis, est conformis erroribus Calvini.



ARTICULUS V.

Utrùm sententia Cartesii asserentis extensionem actualem constituere essentiam corporis, sit contraria Sanctorum Patrum Doctrinæ.

Dicendum est, prædictam Cartesii sententiam esse contrariam Doctrinæ Patrum.

Prob. auct. Patrum 1. Sanct. Aug. in categorijs cap. 10. de quantitate docet, quantitatẽ esse accidens corporis; *Descripta*, inquit, *usia, accidentium definitionem necessarius ordo postulat, quorum primum est quantum*; ergo sanctus Aug. non vult ut quantitas actualis constituat essentiam corporis; quia quòd est accidentale corpori, non potest constituere essentiam corporis.

2. Sanctus Tho. docet, quantitatem separari à substantiâ in Eucharistiæ Sacramento, cum velit quantitatem remanere & non remanere substantiam panis; ergo non vult ut extensio actualis constituat essentiam corporis. Prob. ant. sanctus Tho. 3. parte q. 77. art. 2. docet, quantitatem dimensivam panis & vini, esse aliorum accidentium subjectum. *Omnia*, inquit, *accidentia præter quantitatem dimensivam, quæ remanent in Sacramento, quamvis in nulla sint substantiâ, sunt tamen in quantitate dimensiva panis & vini tanquam in subjecto*: atqui docere quantitatem esse in Eucharistia subjectum aliorum accidentium, est docere quantitatem separari à substantia; ergo sanctus Tho. docet extensionem actualem non constituere essentiam corporis.

3. Idem Doctor q. 76. art. 4. in corpore docet, quòd *Quantitas dimensiva panis remanet facta consecratione, sola substantia panis transeunte*; ergo, &c. satis est auctoritatibus SS. Aug. & Tho. sententiam Cartesii rejecisse, cum ipsi Cartesiani ipsorum tantum Patrum auctoritates afferant, ut Cartesii sententiam probent.

Obj. 1. *Corpus*, inquit, Sanctus Aug. lib.

7. de Genesi ad litteram, cap. 21. *dicimus materiam quamlibet longitudine, latitudine, altitudine spatium loci occupantem.* Hanc auctoritatem affert Roaltus, ut suam probet sententiam in suo primo colloquio pag. 96. ergò ex mente sancti Aug. extensio actualis est essentialis corpori.

Resp. neg. conseq. ratio est, quia sicut ex ista propositione, *homo est rationalis*, non potest rectè colligi, quod rationalitas actualis sit essentialis homini, sicut neque ex ista, *ignis est calidus*, potest inferri, quod calor actualis sit essentialis igni; ita ex ista propositione, *Corpus quodlibet habet trinam dimensionem*, non potest conjici, quod trina dimensio actualis sit essentialis corpori; sed tantum inferri potest, quod radicalis essentialiter illi conveniat.

Obj. 2. Illud constituit essentiam corporis, quo sublato tollitur corpus: atqui sublata quantitate tollitur corpus ex sancto Aug. ait enim lib. de quantitate animæ cap. 4. *Prius abs te quæro, utrum corpus ullum putas esse, quod non pro modo suo habeat longitudinem, latitudinem & altitudinem, si hoc demas corporibus quantum, mea opinio est, neque sentiri possunt, neque omninò corpora esse rectè existimari:* Hanc auctoritatem affert Dominus de Calli membro secundo scientiæ generalis art. 10. sect. 2. ergò ex mente sancti Aug. extensio actualis constituit essentiam corporis.

Resp. 1. dist. primam partem auctoritatis sancti Aug. *Corpus ullum putas, quod non pro modo suo habeat longitudinem, latitudinem*, radicalem vel actualem con. actualem semper

neg. quia extensio actualis , cum non sit essentialis corpori , separari ab eo potest divinitùs ; ita tamen ut separatâ ab illo corpus retineat veram corporis essentiam , extensionem scilicet radicalem in quâ tota corporis essentia sita est : corpus autem in illo statu nec potest tangi , nec sentiri , ut optimè ait beatus Aug. eo quòd quantitate privatum non esset subjectum alicujus sensationis ; non enim videretur , non tangeretur , esset tamen verum corpus : quia ad rationem corporis non requiritur ; ut actu tangatur , vel videatur , sed tantum ut possit tangi vel videri : corpus autem privatum quantitatè potest tangi , quatenus potest quantitatem recipere, quâ mediante corpus actu tangitur & videtur.

Resp. 2. dist. secundam partem auctoritatis sancti Aug. sublatâ quantitate , non possunt rectè existimari corpora Mathematica con. Physica neg. Ratio distinctionis sumitur ex diversâ naturâ corporis Matematici & Physici: corpus enim Mathematicum est illud quod habet actu trinam dimensionem : Physicum verò est illud quod exigit habère trinam dimensionem ; est ergò verum , quod sublatâ quantitate , corpus cessat esse corpus Mathematicum ; sed semper remanet corpus Physicum , quia ad hoc sufficit , ut remaneat compositum ex materiâ & formâ exigens habere trinam dimensionem : Mathematicum verò actu & essentialiter illam requirit , non in potentia & aptitudine tantum,uti Physicum.

Obj. 3. *Corporeitas nihil aliud est quàm tres dimensiones* , ità sanctus Thom. 2. contra gentiles cap. 81. ad 2. hanc auctoritatem affert ad suam

suam probandam sententiam Dominus Calli in membro 2. scientiæ generalis art. 10. sect. 2. ergò sententia Cartesij non est contraria doctrinæ Patrum.

Resp. 1. dist. *Corporeitas nihil aliud est quàm tres Dimensiones*, aptitudinales con. actuales semper nego.

Resp. 2. Turpiter mutilatam esse istam Doctoris Angelici auctoritatem, eam enim si integram attulisset prædictus Doctor, intellexisset haud dubiè; doceri à sancto Thoma extensionem esse accidentalem corpori, non verò essentialem: quod ut omnes intelligant, affero integram auctoritatem Doctoris, qui prædicto loco dicit. *Corporeitas dupliciter accipi potest, uno modo secundum quod est forma substantialis corporis, prout in genere substantiæ collocatur, & sic patet quod corporeitas, prout est forma substantialis in homine, non sit aliud quàm anima rationalis; alio modo accipitur prout forma accidentalis, secundum quam dicitur corpus esse in genere quantitatis, & sic quantitas nihil aliud est quàm tres dimensiones.*



ARTICULUS VI.

Utrùm sententia Cartesij asserentis extensionem actualem constituere essentiam corporis, sit contraria Aristotelis doctrinæ.

NOtandum est, quod licet Cartesiani ferè omnibus in locis aspernentur Aristotelis

sententiam, hic tamen asserunt & quasi gloriantur Cartesium Aristotelis sententiæ adhærere, ubi dicit extensionem actualem constituere essentiam corporis; ideò ut probetur Cartesianos Aristotelis mentem non assequi.

Dicendum est sententiam Cartesij asserentis extensionem actualem constituere essentiam corporis, esse contrariam doctrinæ Aristotelis.

Prob. ex Arist. quantitas distinguitur realiter à substantia: ergò sententia Cartesij est contraria doctrinæ Aristotelis. Prob. ant. multipliciter 1. Aristoteles 7. Metaph. cap. 3, textu 8, ait; longitudo verò, latitudo & profunditas sunt quantitates quædam, sed non sunt substantiæ; quantitas enim non est substantia, sed magis cui hæc ipsa primò insunt, illud est substantia.

2. Idem Arist. 1. phys. cap. 2. textu 15. Si igitur & substantia est & quantum; duo & non unum est, quod est: si verò substantia solum sit, non infinitum est, neque magnitudinem habebit ullam.

3. Idem Arist. 5. phys. cap. 1. textu 9. ait, dari motum ad quantitatem, non autem ad substantiam; sensit ergò illa duo distingui realiter; ergò ex his omnibus Aristotelis auctoritatibus constat docere Aristotelem quantitatem distingui realiter à substantiâ.

Obj. Arist. 4. phys. cap. 4. vocat materiam rem extensam: ergò sententia Cartesij non est contraria doctrinę Aristotelis.

Resp. 1. dist. ant. Vocat materiam rem extensam radicaliter con. actualiter neg. quia materia secundum se dicitur extensa tantum

radicaliter, ex eo quod exigat recipere quantitatem per quam fit extensa actualiter.

Resp. 2. Quòd posito quod Arist. loqueretur de extensione actuali, in hoc ipsius Aristotelis sententiam non sequeremur; quamvis enim ut magistrum revereamur, ab ipso tamen discedimus, ubi quædam Religioni & fidei nostræ contraria dicit. *Nonne*, inquit, Cardinalis Pallavicinus in historia Concilij Tridentini lib. 7. cap. 14. *Aristotelis dicta scholastici communiter impugnant de mundi æternitate, de divina in agendo necessitate, de negata ab eo creandi potentiâ, ac de aliis gravissimis capitibus, in quibus hallucinatur ex humanæ pupulæ infirmitate ad lucem divinam cæcutientis.*



ARTICULUS VII.

Utrùm sententia Cartesii asserentis extensionem actualem constituere essentiam corporis, sit contraria rationi.

NOtandum est, quod quando Cartesii sententiam, Eucharistiæ Sacramento adversari manifestè probamus, mox solent inclamare Cartesiani, ad probãdas res naturales, non esse confugiendum ad res supernaturales, ita ut sæpissimè nobis exprobrent nullãm esse rationem naturalem quæ suadeat & convincat extensionem actualem non esse essentialem corpori. *Sæpè in illud eò acrius invehuntur, quo verius & majoris momenti esse putant, quodque rationibus refutare non valent, Sacris*

Scripturis & veritatibus fidei adversari absque ulla ratione affirmant : impiè certè hac in parte quod authoritate Ecclesiæ uti velint ad evertendam veritatem : ita Cart. in fine responsionis ad objectiones quartas ; ut ergò plenè Cartesio & Cartesianis satisfiat , & ut omninò falsa Cartesii sententia destruatur.

Dicendum est, sententiam Cartesii esse contrariam rationi.

Prob. Potest demonstrari plurimis rationibus naturalibus extensionem, actualem non constituere essentiam corporis ; ergo extensio actualis est contraria rationibus naturalibus. prob. ant. multipliciter.

1. Extensio potest concipi sine corpore in vacuo quod potest dari saltem divinitus , & illud contra Cartesianos , alio in loco probabitur , sed quod potest concipi sine corpore, non constituit essentiam corporis ; ergo extensio non constituit essentiam corporis.

2. Si extensio esset corporis essentia, dum augeretur extensio corporis , augeretur etiam materia corporis , & illa propositio à Cartesio etiam conceditur, ut patet ex dictis : atqui potest augeri extensio , quin simul augeatur materia ; ergo extensio non est essentia corporis. prob. min. potest adaugeri extensio quæ est in aqua , quin adaugeatur materia ; ergo extensio potest adaugeri , quin augeatur materia. prob. ant. experientiâ facta in æolipilis [quæ nihil aliud sunt quam quidam globi ænei , vel ferrei , vel vitrei qui foramen valdè exiguum habent] ubi enim media globorum hujusmodi pars est aqua plena,globique illi objiciuntur igni , quotidie videmus experientiâ , quod

ex illis globis oritur ventus adeo validus, ut carbones etiam accendat, & qui durat donec tota aqua consumpta fuerit, & tunc aqua convertitur in aërem: atqui quando aqua convertitur in aërem, extensio aquæ augetur, non verò materia, eadem enim aquæ materia quę sub exigua quātitate erat in ęolipilis, sub magna est quantitate aëris, quando ex ęolipilis oritur, cum diu duret ille ventus, & cum aër majorem etiam extensionem postulet, quam aqua sicut ignis majorem exigit extensionem, quam aër; ergo potest adaugeri extensio, quin adaugeatur materia.

Respondet Cartesius cap. 4. meteororum illud argumentū nihil probare, eo quod in illo casu aqua non convertitur in aerem, adeò ut dicat Cartesius ventum illum nihil aliud esse quam partes aquæ rarefactæ.

Sed contra: si enim ventus ille nihil aliud esset quam partes aquæ rarefactæ, vel plurimæ partes aquæ per illud exiguum foramen simul exirent vel paucæ, non potest dici quòd plurimæ aquæ partes simul exeant, quia sic ventus brevi cessaret, & quia sic brevi aqua in ęolipilis contenta dissiparetur, quod tamen est contra experientiam: si verò illæ partes plurimæ simul non exeant, illæ partes subtilissimæ, & in parvo numero existentes non perciperentur à manu; sicuti vapores qui ex fluminibus emanant, à manu non percipiuntur; tamen constat experientia quòd ille ventus, cum sit validissimus, maximè percipitur. præterea si ille ventus nihil aliud esset quam partes aquæ rarefactæ, humectarent manum, quòd tamen est contra experientiam.

Obj. 1. Illud est ratio formalis constitutiva corporis, quod primò concipitur in corpore: atqui extensio in longum, latum & profundum primò concipitur in corpore; ergo extensio in longum, latum & profundum est ratio formalis constitutiva corporis. prob. min. illud primò concipitur in corpore, quo sublato corpus non remanet corpus: atqui sublata extensione corpus non remanet corpus; ergo extensio primò concipitur in corpore.

Resp. gratis concessa maj. neg. min. ad cujus probatione dist. min. sublata extensione non remanet corpus mathematicũ, quod ex natura sua postulat trinam dimensionem actualem con. phisicum, sive substantia exigens trinam dimensionem, neg.

Inst. Atqui illa substantia exigens trinam dimensionem, non est corpus physicum; ergo nulla solutio. prob. subs. omne corpus physicum debet esse actu divisibile: atqui illa substantia exigens trinam dimensionem non est actu divisibilis; ergo non est corpus physicum.

Resp. neg. subs. ad cujus probationem neg. maj. quia ut aliquid sit corpus physicum, sufficit, ut sit radicaliter divisibile.

Obj. 2. Quod est inseparabile à corpore constituit corpus: atqui extensio est inseparabilis à corpore; ergo constituit corpus. Proponit fusè hoc argumentum Roaltus 1. parte Phys. c. 7. num. 2.

Resp. neg. maj. Quia licet risibile sit naturaliter inseparabile ab homine, non tamen constituit hominem.

Obj. 3. Illud constituit corpus, per quod

corpus distinguitur à spiritu : atqui per solam extensionem corpus distinguitur à spiritu, ergò &c.

Resp. 1, Cartesianos, ut probent suam sententiam, uti eodem argumento quo Petrus Dumoulin conatur probare realem & corporalem Christi presentiam in Eucharistia esse impossibilem : suâ enim Apologiâ 2. parte sect. 30. pag. 175. *auferre à corpore illud per quod corpus differt à spiritu est efficere, ut corpus non sit corpus : atqui per transubstantiationem à corpore Christi aufertur extensio per quam Corpus Christi differt à spiritu; ergo Corpus Christi non est Corpus.*

Resp. 2. neg. min. Quia corpus abstrahens etiam ab extensione actuali distinguitur essentialiter à spiritu, ex eo quod corpus sit capax recipiendi actualem extenosinem, non verò spiritus qui non est divisibilis, neque formaliter, neque radicaliter : undè extensionis carentia in spiritu est aliquid negativum, privativum verò in corpore.



ARTICULUS VIII.

De essentia corporis contra Gassendum.

NOtandum est 1. Quòd Gassendus de essentia corporis loquens dicit, quod extensio non potest esse essentia corporis, quia quantitas est tantùm modus substantiæ, sive

quantitas est ipsa materia, quatenus ejus partes sibi invicem resistentes & impedientes, nè una introducatur in locum alterius, occupant singulæ locum proprium, particularem & proportionatum ipsarum magnitudini, unde resultat quædam dispositio partium, quæ vocatur extensio materiæ.

Notandum est 2. quód Gassendus ubi Cartesium arguit, in errorem labitur ipse, cùm docet quantitatem esse modum substantiæ: Siquidem modus rei ita connectitur cum ipsa re, ut licet res possit esse sine modo, modus tamen non potest à re separatus existere: atqui quantitas à substantia separata existit in venerabili Eucharistiæ Sacramento; ergo non tantum est modus substantiæ, sed est aliquid distinctum realiter à substantia, ut jam probatum est.

Notandum est 3. quód ubi Gassendus rejecit Cartesij errorem circa essentiam corporis, docet naturam corporis consistere in soliditate, sed hęc sententia non minus à veritate aliena, quàm ipsa Cartesij opinio.

Dicendum est contra illum naturam corporis non consistere in soliditate.

Prob. Quod est de essentia alicujus rei nusquam potest separari ab illa re; atqui soliditas separatur à corpore; ergo essentia corporis non consistit in soliditate. Prob. min. experientiâ constat plurima corpora esse fluidâ & non solida; ergo soliditas separatur à corpore.

Obj. 1. Per illud corpus constituitur corpus, per quod distinguitur à spatio: atqui non distinguitur à spatio per extensionem: spatium

enim est extensum in longum, latum & profundum; ergo distinguitur per solam soliditatem, & proinde essentia corporis consistit in soliditate.

Resp. majorem propositionem esse contra Cartesianos, neutiquam verò contra Peripateticos, qui docent essentiam corporis debere consistere in eo per quod corpus distinguitur à spiritu, non verò à spatio.

Obj. 2. Ideo soliditas non est de essentia corporis, quia videmus plurima corpora mollia & fluida: atqui illa ratio nulla est, ergo essentia corporis consistit in soliditate. Prob. min. Illa ratio nulla est, si nullum fit corpus, quantumvis molle & fluidum videatur, quod non habeat soliditaté, & si judicamus aliquod corpus esse molle, illa mollities non provenit ex eo quod ipsius partes sint molles, sed ex eo quod inter partes quæ solidissimæ sunt, intercipiuntur aliqua vacuola, quæ efficiunt ut corpus cedat tactui & molle videatur; ergo licet aliqua corpora sint fluida vel mollia, essentia corporis potest consistere in soliditate.

Resp. negando minorem & antecedens, quia vacuola illa non dantur, ut infrà probabitur.



ARTICULUS IX.

Utrùm substantia corporea habeat partes ex se, vel sit divisibilis independenter à quantitate.

NOtandum est, quòd magna est controversia, utrùm substantia materialis & corporea habeat ex se & secundùm suam entitatem partes extra partes, & sit divisibilis. Thomistæ docent substantiam corpoream secundum se spectatam habere partes extra partes, & esse solùm divisibilem radicaliter & virtualiter, quatenus habet capacitatem ad recipiendam quantitatem, per quam habet actu partes extra partes, & est divisibilis actu & formaliter. Oppositum docent plurimi alij Philosophi contra quos,

Dicendum est, substantiam materialem sive corpoream secundum se & sine quantitate non habere partes extra partes formaliter & actu, nec esse divisibilem.

Prob. 1. auctoritate sancti Thomæ, qui 1. parte q. 50. art. 2. docet materiam sive substantiam materialem dividi in partes non ei convenire, nisi quatenus intelligitur sub quantitate, quâ remotâ substantia remanet indivisibilis, ergo &c.

Prob. 2. Partes integrãtes totius Hæterogenei constituũtur in esse partiũ per quantitatem, &

alia accidentia;ergo quantitas facit partes in substantia, prob. ant. Per illud partes constituuntur in esse partium, per quod differunt, quia idem est principium constitutivum & distinctivum: atqui differunt tantùm per quantitatem & alia accidentia,non differunt enim per formas partiales quæ non dantur, ut probabitur in tractatu de anima, ergo partes constituuntur in esse partium per quantitatem & alia accidentia.

Prob. 3. Ex Alberto magno, & illa ratio affertur etiam à R. P. Vincentio. materia prima lapidis, v. g. vel est simplex, vel composita ex se sine quantitate: Si simplex: ergò est indivisibilis: Si composita; ergò vel prima compositione, hoc est, ex actu & potentia: vel secunda; hoc est, ex subjecto & accidente. Non primâ, quia materia est pura potentia nullum includens actum: nec secundâ, quia hæc supponit primam; ergò est omnino simplex, atque adeò indivisibilis, & carens partibus sublatâ quantitate. Adde quòd si haberet ex se partes distinctas,includeret actum, quia actus est qui distinguit ex 7. Metaph. cap. 13. textu 49 .& ita non esset pura potentia.

Obj. 1. Si substantia esset divisibilis dependenter à quantitate, secundum se & secundum suam entitatem spectata, esset indivisibilis: atqui substantia corporea non potest secundum suam entitatem dici indivisibilis; ergò substantia corporea non est divisibilis dependenter à quantitate. Prob. min. si substantia corporea secundum suam entitatem spectata, esset indivisibilis, non differret à

substantia spirituali ; atqui debet differre à spiritu, ergò &c.

Resp, neg. min. ad cujus probationem nego maj. quia in hoc differt substantia corporea à substantia spirituali, quòdlicèt substantia corporea secundum suam entitatē spectata, sit indivisibilis formaliter, est tamen radicaliter & virtualiter divisibilis, quia potest recipere quantitatem per quam fit formaliter divisibilis. Substantia verò spiritualis non est divisibilis neque formaliter, neque radicaliter, quia non potest recipere quantitatem.

Obj. 2. Quãtitas non facit partes actuales in substantia, si substantia dividatur indepenter à quantitate: atqui substantia dividitur indepēdēter à quãtitate; ergò quãtitas non facit partes actuales in substantia. Prob. mi. substantia aliquando dividitur, ipsâ quantitate remanente indivisâ; ergò substantia aliquando dividitur independenter à quantitate. Prob. ant. Si quis Sacerdos consecret mediam partem Hostiæ, una medietas substantiæ panis dividitur ab alia medietate, quantitate remanente indivisâ; ergo substantia aliquando dividitur, quantitate remanente indivisâ.

Resp. neg. mi. ad cujus probationem neg. utrumque ant. quia primò una medietas substantiæ panis non dividitur ab alia medietate, sed solùm desinit esse vi verborum. 2. Quia dato etiam, quòd dividatur, hoc fit per quantitatem, quæ licet indivisa apparenter videatur, realiter tamen est divisa ; sicut licet rami non viventes & aridi videantur conjuncti cum viventibus, sunt tamen realiter divisi.

Obj.

Obj. 3. Si quantitas faceret partes in substantia, illæ partes dependerent à quantitate tanquam à causa formali : atqui partes non possunt dependere à quantitate tanquam à causa formali ; ergo quantitas non facit partes in substantia. Prob. mi. Si partes dependerent à quantitate tanquam à causa formali, sequeretur quòd illæ partes non essent substantiales, sed accidentales & quantitativæ, quia effectus formalis nihil aliud est quam ipsa forma communicata : atqui partes substantiales non possunt esse accidentales & quantitativæ ; ergo partes non dependent à quantitate tanquam à causa formali.

Resp. neg. min. ad cujus probationem dist. maj. Si partes substantiales ut substantiales dependerent à quantitate tanquam à causa formali, non essent substantiales, sed accidentales con. Si partes ut partes sunt dependerent à quantitate tanquam à causa formali, non essent substantiales neg. quia quantitas non facit substantiam in partibus, sed tantum divisibilitatem, & ita partes substantiales & divisibiles non sunt totus effectus quantitatis, sicuti substantia alba non est totus effectus formalis albedinis ; habet enim à se quod sit substantia, & ab albedine quod sit alba. Ita partes habent à se quod sint substantiales, & habent à quantitate quod sint formaliter partes & divisibiles.

Obj. 4. In nutritione substantia acquiritur per partes ; ergò substantia secundum se habet partes.

Resp. dist. ant. substantia acquiritur per partes, dependenter à quantitate conc. inde-

pendenter à quantitate neg. quia nutritio primariò terminatur ad substantiam; secundariò verò ad quantitatem, cum substantia non possit acquiri sine quantitate, sicut accretio terminatur primariò ad quantitatem secundariò ad substantiam, quia cum quantitas sit accidens, non potest acquiri sine substantia.

Obj. ultimò ex sancto Tho. 5. Metaph. lectione 15. Quantitas, inquit, inter alia accidentia propinquior est substantiæ, unde quantitatem esse substantiam putant aliqui; nam sola quantitas habet divisionem in partes proprias post substantiam, hoc est quantitas est divisibilis sicut substantia quæ est divisibilis; ergò substantia habet partes independenter à quantitate.

Resp. dist. auct. Divi Tho. Substantia est divisibilis radicaliter & in potentia conc. formaliter neg. Quia quantitas & substantia conveniunt in hoc, quod utraque habeat partes, sed differunt quod substantia habeat partes quæ non habent rationem partium formaliter nisi per quantitatem: quantitas autem habet partes ex se, & est divisibilis, quia quod est per se tale, non indiget fieri tale per aliud.

QUÆSTIO II.

De continuo.



UM jam in prima hujus tractatus quæstione de quantitate in communi egerimus: nunc agendum superest de aliqua quantitatis specie, nempe de quantitate continua. Mysterium certè Philosophicum est hæc difficultas, in qua ratio plus probat, quam possit intelligere; plus obiicit, quam possit solvere. Ut tamen aliqualiter explicetur continui compositio & natura; ea qua poterimus perspicuitate, involutas de punctis & Mathematicis & Physicis controvesias evoluere conabimur.

ARTICULUS I.

Vtrùm in continuo sint partes actu, an solum in potentia, & utrùm illæ partes sint inter se realiter distinctæ.

NOtandum est 1. continuum vulgò significare aliquod compositũ multis partibus

integrantibus nexu aliquo cohærentibus & cõjunctis. Propriè definitur ab Aristotele lib. 5. Phys. cap. 3. textu 26. illud, *cujus partes communi termino copulantur*, unde continua sunt illa, *quorum ultima sunt unum*: contigua verò sunt illa, *quorum ultima sunt simul.*

Notandum est 2. quod circa istam difficultatem duplex est opinio; prima docet continuum nullas habere partes, & esse aliquid indivisum; potentia autem esse divisibile. Secunda docet continuum nullas actu habere partes ab invicem distinctas; ita ut hujusmodi partes fiant actu distinctæ, vel reali & Physica separatione, vel sola designatione digiti vel oculi.

Notandum est 3. duo esse genera partium: aliæ sunt æquales vulgò aliquotę; alię vocãtur proportionales. Æquales illæ sunt quæ ad aliquam certam mensuram sumuntur: dicuntur autem aliquotæ, quia aliquoties repetitæ exhauriunt totum v. g. palmus est pars aliquota ulnæ; quia aliquoties repetitus exhaurit pręcisè ulnam; dicuntur non communicantes, quia illarum quælibet est extra aliam, & una non communicat cum alia; dicuntur denique designabiles, quia cum una sit extra aliam, possunt designari facilè, vel oculo, vel digito, vel alio modo; proportionales verò sunt illæ quæ secundum aliquam mensurarum decrescentium proportionem sumuntur minores & minores semper; ut si cubitus dividatur in duos palmos, palmus in semipalmos, & ita de aliis, servata semper eadem proportione, illæ partes dicuntur inæquales, ut per se manifestũ est. Dicuntur etiam indeterminatæ, quia

non habent certos terminos parvitatis, ita ut facta quacumque divisione nusquam devenitur ad ultimam: dicuntur denique communicantes, quia una accipit aliquid de altera, sicut semipalmus accipit & participat aliquid de palmo, cum sit illius medietas.

Dicendum est 1. in continuo esse actu partes.

Prob. 1. Quod dividitur in partes, continet actu illas partes, antequam dividatur: atqui continuum dividitur in partes, ut constat experientia; ergò habet actu partes.

Prob. 2. Quod est actu majus, habet actu aliquid, quo fit altero majus: atqui oceanus est actu major fonte; ergo habet aliquid, nempe partes quibus sit major.

Dicendum est 2. hujusmodi partes continui esse realiter inter se distinctas, independenter à quavis designatione mentis, aut aliâ hujusmodi.

Prob. Quælibet res distinguitur ab alia re per illud, per quod constituitur in sua entitate: atqui partes sunt in continuo secundum propriam entitatem; ergo per ipsam distinguntur ante quamcumque divisionem: nam ante divisionem pedis in digitos, aut digiti in duodecim lineas, jam lineæ actu sunt in digito, & digiti in pede: separari enim possunt abinvicem, & separata existere: quæ est maxima distinctionis nota.



ARTICULUS II.

Utrùm in omni continuo, actu existant vera & positiva indivisibilia tam continuantia quam terminantia.

NOtandum est indivisibilia esse realitates quasdam quibus quantitas continua tam permanens quam successiva dicitur finita & limitata, ne ulterius se extendat: hæc autem indivisibilia in continuis successivis dicuntur instantia; in continuis verò permanentibus dicuntur, vel punctum, quod est illud cujus nulla est pars sive quod nullam habet dimensionem, neque longitudinem, neque latitudinem, neque profunditatem; vel linea quæ est longitudo sine latitudine; vel denique superficies quæ est latitudo sine profunditate; ibi ergò quæritur ûtrum in omni continuo existant actu, realiter, physicè hujusmodi indivisibilia, quæ uniant & terminent partes continui.

Dicendum est 1. dari indivisibilia terminantia.

Prob 1. Datur contactus; ergo dantur indivisibilia terminantia. Antecedens patet prob. conf. duo corpora non possunt se tangere secundum partes, sed solum secundum indivisibilia terminantia partes; ergo debêt dari hujusmodi indivisibilia. Prob. ant. si duo corpora se tangerent secundum partes, deberent esse

simul secundum illud secundum quod se tangerent: atqui partes non possunt esse simul secundum seipsas, aliàs penetrarentur; ergo duo corpora se tangunt secundum indivisibilia terminantia.

Prob. 2. Si globus perfectè rotundus poneretur supra corpus perfectè planum, tangeret illud actu, realiter & Physicè; ergò tangeret illud secundum aliquid actùale, reale & Physicum; siquidem actualis, realis & Physicus contactus debet fieri in aliquo reali Physico & actualiter existente; non autem in sola negatione, quatenus scilicet non distant ab invicem; nam indè sequeretur quod globus æneus cadens supra vitrum planum non illud frangeret vi propria; hoc non potest dici: atqui corpus perfectè rotundum non tangit corpus perfectè planum nisi in puncto; ergò necessariò debent admitti puncta in continuo. Prob.min. si corpus perfectè rotundum tangeret corpus perfectè planum in parte divisibili, non esset perfectè rotundum; illa enim quæ se tangunt debent se adæquare & proportionare in eo in quo se tangunt; proindè illa pars globuli quæ tangeret partem corporis plani, deberet esse plana: in corpore autem perfectè rotundo nihil potest esse planum: alioquin lineæ ductæ à centro non essent æquales: ergo globus perfectè rotundus tangit corpus perfectè planum in puncto.

Dicendum est 2. Dari indivisibilia continuantia.

Prob. 1. partes continui debent uniri per aliquem terminum communem juxta definitionem continui: atqui ille terminus com-

munis non potest esse nisi aliquid indivisibile continuans; ergo &c. prob. min. ille terminus communis non potest esse aliqua pars. 1. Quia impossibile est, ut aliqua pars sit communis duabus partibus. 2. Quia illa pars quæ uniret alias duas, adhuc indigeret uniri, cum ipsa constaret aliis partibus; ergò ille terminus communis debet esse aliquod indivisibile continuans.

Obj. 1. Quod existit tantum in potentia, non existit actualiter: atqui ex Arist. & sancto Thom. puncta existunt in continuo tantum in potentia; ergò non existunt actu, realiter & physicè.

Resp. dist. min. Existunt tantum in potentia quantum ad terminationem con. quantum ad continuationem neg. quia Arist. & sanctus Thomas loquuntur solum de punctis quæ resultant ex divisione quantitatis; quando enim linea bipalmaris dividitur in duos palmos, loco unius puncti quod antea uniebat & continuabat utramque medietatem palmarem, resultant duo puncta quæ terminant utramque extremitatem in qua facta est divisio, quæ duo puncta non erant anteà actualiter & physicè in linea, sed solùm in potentia; vel Arist. & Divus Thomas loquuntur de linea circulari, ubi non sunt actu puncta terminantia; sed solùm in potentia, quæ resultarent actu, si linea divideretur.

Obj. 2. Ideò existunt actu & physicè puncta, ut partes continui inter se uniantur: atqui puncta non sunt necessaria ad illud; ergo falsum est, indivisibilia realiter & physicè existere in continuo, prob. min. partes continui

possunt immediatè uniri per se ipsas, sicut materia & forma; ergò indivisibilia non sunt necessaria ad talem unionem.

Resp. neg. min. & ant. Quia materia & forma non se habent sicut partes continui; siquidem cum materia & forma habeant inter se intrinsecam & essentialem dependentiam & ordinem, possunt per se ipsas immediatè uniri: partes vero continui, cum nullam habeant inter se dependentiam, quin imò una petit esse extra aliam; ideò non possunt uniri nisi per indivisibilia.

Obj. 3. Indivisibilia non possunt unire partes continui, punctum. v. g. cum sit omninò indivisibile non potest afficere utramque partem; ergò non dantur indivisibilia.

Resp. dist. ant. Punctum non potest afficere utramque partem continui inhærendo. con. adhærendo neg. quia verum quidem est, quod punctum non potest inhærere & se communicare utrique parti continui: quia sic esset in diversis subjectis: sed potest unire & continuare utramque partem adhærendo solum sive intimè assistendo: illa autem indivisibilia cum sint termini & modi quantitatis recipiuntur in eodem subjecto in quo recipitur quantitas, & ita dicendum, quod illa indivisibilia recipiuntur in subjecto, non quidem ratione sui, sed ratione quantitatis, cujus sunt termini & modi.

Obj. 4. Partes uniuntur immediatè indivisibilibus; ergò partes uniuntur immediatè inter se; quia habent majorem proportionem inter se, cum sint ejusdem rationis & naturæ: indivisibilia verò sunt diversæ rationis & naturæ cum partibus.

Resp. dist. ista verba quæ continentur in consequentia. Partes habent majorem proportionem inter se, quam cum indivisibilibus secundum rationem partium con. secundum rationem unitivam neg. quia licet partes sint ejusdẽ naturæ, tamen inter illas nulla est proportio, secundum unitivã rationem & proindè non possunt immediatè uniri, quia inter illas non reperitur intrinseca & essentialis dependẽtia: partes autem uniuntur immediatè indivisibilibus, quia cum indivisibilia sint ratio formalis unionis, possunt immediatè uniri partibus per se ipsa; si enim requirerent aliquid aliud, quo mediante unirentur, daretur processus in infinitum, ut patet.

Obj. ultimò. Ideò dantur indivisibilia, ut quantitas sit finita & limitata: atqui sine indivisibilibus quantitas; potest esse finita & limitata; si enim indivisibilia divinitus separarentur à quantitate, illa quantitas remaneret terminata, quia non excederet priores limites; ergò indivisibilia non sunt necessaria ut quantitas sit finita & terminata.

Resp. dist. min. Si à quantitate separarentur indivisibilia, quantitas remaneret finità privativè con. positivè neg. quia tunc illà quantitas diceretur finita privativè per carentiam extensionis; non verò positivè, quia non haberet terminum positivum.



ARTICULUS III.

Utrùm continuum constet solis punctis Mathematicis.

Notandum est 1. Quod plurimi Philosophi de duobus dumtaxat punctorum generibus ibi disputāt, scilicet de punctis mathematicis & punctis physicis, quia puncta Zenonis cum Mathematicis confundunt. Sed insignis Mathematicus P. de Chales observat puncta Mathematica cùm Zenonicis malè confundi; juxta ergò illius Mathematici sententiam, tria sunt punctorum genera, scilicet puncta Mathematica, puncta Zenonis, & puncta Physica. Puncta Mathematica sunt illa quæ nullam habent dimensionem, neque longitudinem, neque latitudinem, neque profunditatem. Puncta Physica sunt illa quæ habent aliquam dimensionem & magnitudinem. Puncta Zenonis (juxta mentem insignis Mathematici), sunt partes quantitatis omnium minimæ, quæque indivisibile spatium occupant; adeò ut ne per mentem quidem dividi possunt.

Notandum est 2. Quod posito quod puncta Mathematica cum Zenonicis non confundantur, triplex opinio circa compositionem continui rejicienda occurrit. Prima est quorundam qui dicunt continuum constare solis punctis Mathematicis; ita ut omne corpus con-

stet superficiebus; omnis superficies lineis, omnis linea punctis. Secunda opinio est Gassendi, qui cum Epicuro docet continuum constare Solis punctis Physicis. Tertia est Zenonis qui suis solis punctis continuum componi putat: in isto articulo simul eisdem rationibus probabitur continuum non posse constare solis punctis Mathematicis, neque solis punctis Zenonicis; sententia autem Gassendi rejicietur, ubi probabitur continuum constare partibus in infinitum divisibilibus.

Dicendum est continuum non constare solis punctis Mathematicis.

Prob. 1. Illa non possunt facere quantitatem continuam, quæ non possunt invicem continuari: atqui puncta Mathematica non possunt continuari, ergo non possunt facere quantitatem continuam. prob. illa tantum possunt continuari quæ uniuntur secundum extremitates, quia continua sunt illa quorum extrema sunt idem: atqui puncta Mathematica non possunt uniri secundum extremitates; ergo puncta Mathematica non possunt continuari. Major est evidens quia si aliqua uniantur, non secundum extrema, sed secundum se tota, ita ut nihil unius emergat extra aliud; non erunt continua sed penetrata; sicque non facient aliquid extensius; quia unum non extendetur extra aliud. Minor etiam patet, quia puncta Mathematica non habent extremitates.

Prob. 2. Si continuum constaret solis punctis, nullam haberet extensionem: atqui illud est absurdum; ergo & aliud. prob. sequela majoris. ut tria puncta v. g. faciant lineam, debent necessariò uniri & proximè juxta se poni

ni ; ergò si illa tria puncta faciant extensionẽ in longum, necesse est, ut tertium punctum magis distet à primo quam à secundo : atqui hoc est impossibile : ergò si continuum constaret puris punctis, non haberet extensionem. prob. min. Si tertium punctum aliquo modo distaret à primo, distaret per intervallum spatii quod occupatur à secundo : atqui spatium nullum est : cum enim punctum nullas habeat dimensiones, nullum etiam potest occupare intervallum : ergò impossibile est, quòd tertium punctum distet à primo : inde etiam sequeretur, quod linea viginti palmorum esset æqualis lineæ quadraginta palmorum : quia una non haberet majorem extensionem aliâ ergo continuum non constat solis punctis Mathematicis.

Obj. 1. Puncta possunt facere extensionem, si juxta se posita non se penetrent : atqui puncta juxta se posita non se penetrant : ergo puncta possunt facere extensionem. prob. min. punctum quod unit partem cum aliâ, non penetratur cum illa : ergo unum punctum potest tangere aliud punctum, quin se penetrent.

Resp. neg. min. ad cujus probationem neg. conseq. & paritatem : quia ideò punctum non penetratur cum parte, quia punctum non est adæquatum parti : cum verò punctum sit adæquatum puncto, punctum juxta punctum positum penetratur cum illo, & ita punctum non potest facere extensionem.

Obj. 2. Unitates faciunt multitudinem, & plurima instantia faciunt durationem : ergo plurima puncta possunt facere extensionem. prob. conseq. ex Arist. Linea est in puncto,

ſicut unitas in numero, & inſtans in tempore: ergo ſi plurimę unitates faciāt multitudinem, & plurima inſtantia faciant durationem, plurima puncta poſſunt facerę extenſionem.

Reſp. neg. conſeq. ad cujus probationem diſt. ant. Linea eſt in puncto, ſicut unitas in numero, & inſtans in tempore ſecundum quid conc. ſimpliciter & abſolutè neg. quia inſtans, unitas & punctum conveniunt ſecundum quid, non verò ſimpliciter & abſolutè. unitas & punctum conveniunt in hoc, quòd ſicut unitas eſt principium numeri, ita punctum eſt principium lineæ: differunt verò in hoc, quòd unitas eſt pars numeri, punctum vero non eſt pars lineæ. Unitas eſt pars numeri, quia numerus eſt quantitas diſcreta, & proinde eſſentialiter exigit partes diviſas, & abſtrahit à loco & ſitu, ideoque diviſione & ſeparatione conſtituitur, non vero compoſitione: indè fit ut poſtulet magnitudinem pluralitatis, non verò magnitudinem extenſionis, quantitas vero continua exigit partes continuas & ſibi cohærentes, ſitu tamen & loco diſtinctas, & proindè non poteſt ex puris punctis componi, quia indiviſibile additum indiviſibili non facit extenſionem. ſimiliter inſtans & punctum conveniunt in hoc, quòd ſicut punctum eſt principium lineæ, ita inſtans eſt principium durationis: in hoc verò differunt, quòd inſtans poteſt facere majorem duratione; punctum verò non poteſt facere continuū majus. Inſtans poteſt facere majorem durationem, quia duratio abſtrahit ab extenſione, & ita poteſt convenire rei indiviſibili, quantitas vero continua non abſtrahit ab extenſione, quæ non poteſt fieri per indiviſibilia.

Obj. 3. Vel post primum punctum sequeretur aliud punctum, vel pars divisibilis; si sequatur punctum, erunt duo indivisibilia immediatè & juxta se posita, & consequenter in toto continuo; si verò sequatur pars, illa pars erit continua sine punctis; ergò totum erit cõtinuum sine punctis; quia non est major ratio de una parte quàm de aliis.

Resp. Quòd post primum punctum sequitur pars, quæ cum sit in infinitum divisibilis, in eâ debent esse puncta, non actu, sed potentiâ; quatenus ex divisione nova debent resultare puncta.

Obj. 4. & ultimò. Si globus perfectè rotundus poneretur supra corpus perfectè planum; illud tangeret in puncto (ut jam dictum fuit) ergo si volveretur supra illud tangendo semper in puncto, describeret lineam compositam ex solis punctis; proindè sequeretur omne continuum constare ex solis punctis.

Resp. neg. conseq. Quia licet globus tangeret planum in puncto, non tamen describeret lineam compositam ex solis punctis; quia non tangeret planum continuo motu, sed discreto, scilicet saltando de uno puncto ad aliud, Ille tamen motus dicitur continuus ratione aëris circumscribentis ipsum globum & planum, sicut motus progressivus animalium dicitur continuus, licet continuò non tangat terræ partes.



ARTICULUS IV.

Vtrùm continuum constet partibus in infinitum divisibilibus.

CONTRA GASSENDUM.

NOtandum est. Quod ex dictis constat continuum non constare solis punctis, sed partibus. Nunc itaque expendendum an partes illæ ex quibus continuum prodit, sint in infinitũ divisibiles, ut visum est Aristoteli, & ut magna peripateticorũ pars, imo & Cartesius, ac plerique recentiores existimant. Gassendus contra peripateticos & Cartesium, oppositum docet; vult enim quod continui divisio tandem exhauriatur, cum ad minima, seu ad puncta physica ventum est. Sed contra Gassendum.

Dicendum est cum Aristotele, peripateticis & Cartesio continuum constare partibus in infinitum divisibilibus.

Prob. 1. Nulla pars est in continuo tam minima, quæ non sit in infinitum divisibilis in alias partes; ergo partibus proportionalibus in infinitum divisibilibus constat continuum. prob. ant. nulla pars est in continuo tam minima, quæ non habeat quantitatem, cum quantitas sit proprietas entis; ergo nulla est pars in continuo, quæ non sit in infinitum divisibilis in alias partes.

Obj. 1. Dari possunt in naturâ particulæ corporis adeò tenues & subtiles, ut à nulla creatura dividi possint, & fortè non dubium est, quin multæ tales in mundo dentur, ut atomi, & similes, quas adeo exiguas concipere possumus, ut nulla arte minui possint; & tamen nullus non fatebitur, quin hujusmodi substantiæ sint corporeæ; ergo dici nequit materialem substantiam esse divisibilem in semper divisibilia. Hoc argumentum sibi proponit Antonius le Grand, in sua institutione Philosophiæ secundum principia Cartesii, parte quarta de Physica generali, numero quarto.

Resp. cum eodem Philosopho. Impossibile esse, ut aliquæ partes dentur ita subtiles, exempli causa, Atomi, quæ sint corporeæ, & quæ habere aliquam extensionem concipiantur, & sint indivisibiles; cum esse extensum, & indivisibile, repugnet. Nam licet Deus fortè voluerit, ut aliquæ atomi, à nobis dividi nequeant, tamen dicere non debemus, potestate illas dividendi se privasse. Nam clarè intelligimus, illas à Deo posse dividi, quamdiu à nobis extensas esse supponimus. Itaque indivisibilia (si quæ dari possunt) corporis compositionem ingredi non possunt, quum in corpore nihil reperiatur, quod longitudine, latitudine & profunditate non constet.

Obj. 2. Si continuum constaret partibus proportionalibus in infinitum divisibilibus, daretur infinitum actu in extensione & in multitudine: atqui illud non potest dici; ergo nec aliud. prob. maj. quoad omnes partes. Primo partes infinitæ habentes extensionem faciunt

infinitè extensum: atqui partes proportionales infinitę habent extensionem; ergo faciunt infinitè extensum. Secundò partes numero infinitæ faciunt infinitum in multitudine: atqui partes proportionales sunt numero infinitæ; ergo faciunt infinitum in multitudine.

Resp. 1. neg. maj. ad cujus probationem, quantum ad primam partem. dist. maj. Partes infinitæ habentes extensionem non communicantem faciunt infinitum actu in extensione con. partes infinitæ habentes extensionem cõmunicantẽ faciunt infinitũ in extensione neg. similiter distinguenda est minor propositio. Partes proportionales habent extensionem communicantem con. non communicantem neg. quia ut partes aliquæ faciant infinitè extensum, debent habere extensionem non communicantem; ita ut extensio unius sit extra extensionem alterius: partes autem proportionales non ita se habent; quia extensio v. g. duorum semipalmorum qui sunt proportionales respectu palmorum, non est extra extensionem unius ex his palmis, sed est extensio ipsius.

Resp. 2. neg. eamdem maj. prop. ad cujus probationem quantum ad secundam partem dist. maj. Partes numero infinitæ actu & cathegorematicé, faciunt infinitum actu in multitudine con. partes numero infinitæ in potentia tantum & syncathegorematicè, faciunt infinitum in multitudine neg. Similiter distinguenda est min. prop. partes sunt infinitæ syncathegorematicè & in potentia con. cathegorematicé & actu neg. quia partes proportionales eodem modo sunt infinitæ, quo sunt partes:

Cum autem sint tantum partes in potentia; siquidem ut aliqua pars sit actu pars, debet esse extra aliam, superaddere aliquid ad illam, habere distinctam extensionem & facere majus; cum autem partes proportionales sint communicantes non habent extensionem distinctam: proinde sunt tantum partes in potentia, & eodem modo sunt infinitæ.

Instabis. Partes sunt actu in continuo; ergo faciunt actu infinitum.

Resp. dist. ant. partes sunt actu in continuo secundum entitatem conc. secundum infinitatem neg. quia verum quidem est, quod illæ partes habent actu entitatem in continuo; sed tamen illæ partes non possunt facere infinitum, nec in extensione, nec in multitudine, ut patet ex dictis in præcedenti argumento.

Inst. iterum: atqui illæ partes possunt facere infinitum in multitudine; ergò nulla responsio. Prob. subs. partes actu distinctæ ab invicem possunt facere infinitum in multitudine: atqui illæ partes sunt actu distinctæ ab invicem: ergò possunt facere infinitum in multitudine.

Resp. neg. subs. ad cujus probationem neg. maj. quia ut partes faciant infinitum in multitudine, non sufficit, ut sint actu distinctæ, sed debent esse actu divisæ: siquidem numerus non resultat ex distinctione, sed ex actuali divisione partium: unde sicut impossibile est, ut omnes illæ partes sint ab invicem divisæ, ita impossibile est, ut sint infinitæ secundum numerum. Solutio est ex Sancto Thoma in 4. dist. 10. q. 1. art. 3. & 3. p. q. 76. art. 3. ad 1.

Obj. 3. Si in quolibet continuo essent partes in infinitum divisibiles, tot essent partes in grano tritici, quot sunt in aliquo alio corpore vastissimo, v.g. in cœlo: quia in grano tritici sunt partes infinitæ sicut in cœlo: atqui illud non potest dici: ergò nec aliud.

Resp. dist. maj. tot essent partes in grano tritici, proportionales conc. aliquotæ neg. Quia cum granum tritici & cœlum habeant rationem continui, utrumque debet constare partibus in infinitum divisibilibus: & proinde nullum est inconveniens, quòd tot sint partes proportionales in grano tritici, quot sunt in cœlo.

Obj. ult. non potest concipi, imò & sensui videtur repugnans, granulum v. g. tritici esse divisibile usque ad diem judicij, imò per totam æternitatem in partes minores & minores, absque eo quod possit tandem devenire ad ultimam divisionem: ergo, &c.

Resp. 1. Quòd licèt illud mirum videatur, licèt illud captu sit difficile: hoc ita tamen esse suadent exempla, quæ nobis suppeditat, tum natura, tum ars, tum mathematica, ut optimè notat Thomista celeberrimus.

1. Natura nobis offert minutissimum acari corpus, in quo tamen minimo corpusculo innumerabiles divisiones natura induxit, in illo enim corpusculo distinguntur cor, jecur, intestina, pedes, nervi, caput, dentes, guttur, &c. & quod magis mirum est, per omnes istas partes cursitat magna spirituum copia, & quod demum fidem omnem vinceret, nisi oculi suaderent, deprehensum est per migroscopium aliqua ex hujusmodi animalculis etiã

pilis esse hirsuta. Ex quibus natura nos docet quod minima quantitas in minores & minores partes potest dividi.

2. Ars nobis offert aurum quod malleator potest dilatare repetitis ictibus in varia folia, & nulla est tam minima auri pars quæ adhuc in minores & minores semper particulas in infinitum non possit dividi.

3. Idem nobis suadet Mathematica: docet enim legem trianguli perfecti esse, ut latera ejus à basi ad centrum anguli ducta nunquam nisi in centro coëant, & tamen quantò magis ad centrum accedunt, tantò propius invicem accedant. Sumamus; ergò triangulum rectilineum, cujus basis sit minima quædam lineola, à qua ducantur duæ lineæ ad punctum maximè distans, v. g. ab urbe Avenionensi ad Tolosanam: lineę istæ quantò magis accedent ad centrum cuspidis, tantò magis invicem accedent, & de brevissimo basis spatio detrahent: & tamen nunquam illud totaliter exhaurient, nisi cum pervenerint Tholosam: quantula ergò particula, putas, detrahetur ex illo spatio singulis leucis, sed quam minor singulis passibus, & quam minima singulis digitis: ergò brevissima illa spatij particula dividetur in tot particulas, quot sunt digiti in illa longitudine immensa, quæ est ab urbe Avenionensi ad Tolosanam. Ita Goudin 1. partis Phys. disput. 3. quæst. 5. art. 1. de continuo.

Resp. 2. Cum S. Th. 1. Phys. lect. 9. cum dicitur, continuum esse divisibile in partes in infinitum divisibiles, hoc esse intelligendum Mathematicè, & quantum pertinet ad ratio-

nem quantitatis : quia si spectetur natura subjecti, Physicè loquendo, potest contingere non posse eam salvari in quantumvis parva quantitate.



QUÆSTIO III.

De infinito.

DUO tantùm in duobus articulis quærentur. In 1. utrùm possit dari divinitus aliqua creatura infinita secundum essentiam. In 2. & ultimo utrùm possit dari infinitum, actu secundum magnitudinem multitudinem & intentionem qualitatis.



ARTICULUS I.

Vtrùm possit dari divinitus creatura infinita secundum essentiam.

NOtandum est 1. infinitum definiri illud quod caret fine & termino, vel ut inquit Arist. 5. Phys. cap. 7. *Illud cujus aliquid est semper extra.*

Notandum est 2. quod carentia quæ est in infinito potest sumi tripliciter, scilicet, privativè, negativè, & positivè ; sumitur priva-

tivè quando est in aliquo subjecto quod natum est habere terminum, sed tamen caret termino; quantitas v. g. est capax habere terminum; si igitur careat termino dicitur infinita privativè. Infinitum negativè dicitur illud cujus subjectum non est capax alicujus termini; hoc autem duplici modo potest contingere, vel propter perfectionem subjecti quod nullo termino affici potest; & hoc modo Deus est positivè infinitus; alio modo hoc potest contingere, scilicet ex imperfectione subjecti quod adeo imperfectum est, ut nihil habeat in se quod terminari possit; ita punctum est infinitum, quia propter indivisibilitatem non habet terminum. Non ibi agitur de infinito positivè nec de infinito negativè, sed tantum de infinito privativè.

Notandum est 3. Infinitum esse duplex. Aliud est infinitum actu, aliud est infinitum in potentia. Infinitum actu est illud quod secundum id quod actu habet, caret fine & termino, & dicitur infinitum categorematicum, quatenus est infinitum absolutè & sine addito; infinitum verò in potentia est illud quod secundum illud quod actu habet est finitum & limitatum, sed secundum illud quod potest habere, caret fine & termino, quia non potest illi assignari certus & determinatus terminus ultra quem non possit transire; illud autem infinitum dicitur syncategorematicum, quia non est propriè infinitum.

Notandum est 4. & ultimò duplex adhuc esse infinitum, aliud scilicet infinitum simpliciter & in omni genere entis: aliud secundum quid & in certo genere entis. Infinitum sim-

pliciter est illud quod primò caret terminis essentiæ, scilicet certo genere & certa differentia, quia continet perfectiones omnium generum & omnium differentiarum. 2. Quod caret terminis Physicis, scilicet materiâ & formâ, quia est actus purissimus & simplicissimus excludens omnem omninò potentialitatem. 3. Quod caret terminis Metaphysicis, scilicet subsistentiâ & existentiâ: quia illa identificantur cum suâ natura: illud autem ens infinitum est Deus Optimus Maximus: infinitum verò secundum quid, est illud quod caret fine & termino in aliquo certo genere, vel in genere quantitatis tam continuæ quam discretæ, ita ut habeat multitudinem & magnitudinem sine termino & numero: vel in genere qualitatis, ita ut careat termino intentionis.

Dicendum est non posse dari divinitus aliquam creaturam infinitam simpliciter & secundum essentiam.

Prob. Illud dicitur infinitum simpliciter quod caret terminis essentiæ, scilicet genere & differentia, quod caret terminis Physicis, scilicet materiâ & formâ, & quod caret terminis Metaphysicis, scilicet subsistentiâ & existentiâ: atqui nulla est creatura quæ careat genere & differentia, quæ careat materia & forma, & quæ non habeat essentiam finitam; ergo nulla potest dari creatura infinità simpliciter. Prob. min. quoad omnes partes. 1. Omnis creatura ponitur in prædicamento; ergo nulla est creatura infinita simpliciter. 2. Quod caret actu & potentialitate, est actus purissimus: atqui nulla est creatura quæ sit actus purissimus; ergo nulla est creatura quæ

quæ sit actus purissimus; ergo nulla est creatura quæ possit carere actu & potentialitate. 3. Quod habet existentiam receptam in alio habet existentiam finitam: unumquodque enim finitur & limitatur per illud in quo recipitur: atqui omnis creatura habet existentiam receptam in essentia, utpote distinctam realiter ab illa, ut probabitur in Metaphysica; ergo omnis creatura habet existentiam finitam: & proinde nulla potest dari creatura ita perfecta, ut non possit dari perfectior.

Obj. 1. Potentia Dei operativa est infinita: atqui potentia infinita petit habere effectum infinitum; ergo cùm detur potentia infinita, potest etiam dari effectus infinitus.

Resp. dist. min. Potentia infinita petit habere effectum infinitum syncategorematicè & in potentia, conc. categorematicè & actu, neg. quia ut potentia dicatur infinita actu, sufficit ut possit producere effectum infinitum in potentia, hoc est, quòd data quacumque creatura secundum essentiam perfectissimâ, possit producere aliam perfectiorem & perfectiorem in infinitum: hoc enim denotat quòd talis potentia continet omnem perfectionem omnium creaturarum, & consequenter quòd illa potentia est infinita.

Inst. atqui ille effectus debet esse infinitus categorematicè; ergo nulla solutio. Prob. subs. tota virtus & natura agentis manifestatur in effectu; ergo effectus proveniens à potentia categorematicè infinita, debet esse categorematicè infinitus.

Resp. neg. sub. ad cujus probationem dist. ant. virtus agentis univoci tota manifestatur

in effectu conc. virtus agentis æquivoci, neg. quia, ut ait Sanctus Thomas 1. p. q. 25. a. 2. ad 2. Potentia, inquit, agentis univoci tota manifestatur in suo effectu; potentia enim productiva ignis nihil potest plusquam ignem producere; sed potentia agentis non univoci non tota manifestatur in effectûs productione, sicut potentia solis non tota manifestatur in productione animalis ex putrefactione generati. Manifestum est autem quòd Deus non est agens univocum; nihil enim potest cum illo convenire neque in specie, neque in genere; non oportet ergo, quod manifestetur infinita Dei potentia in hoc quod producat effectum categorematicè infinitum.

Obj. 2. Deus potest habere hoc imperium. Producatur perfectissimus effectus qui potest à me produci: hoc posito quæritur, an ille effectus sit futurus infinitus vel non; si primum, dabitur infinitum; si secundum, dabitur creatura finitè perfecta, ultra quam non poterit Deus producere perfectiorem, quod est falsum, nam illud denotaret potentiam finitam & limitatam; ergo potest dari infinitum actu.

Resp. Quod impossibile est, ut Deus habeat tale imperium, quia esset otiosum & inutile: siquidem nihil esset quod illi obediret, sicuti si Deus diceret, fiat pars prima, aut ultima continui, non esset pars aliqua quæ tali obediret imperio.

Obj. 3. Si Deus ageret ex necessitate naturæ, produceret infinitum actu, quia tunc agendo secundum omnes suas vires quæ sunt

infinitæ, produceret creaturam infinitam; ergo Deus agens liberè producit creaturam actu infinitam, quia libertas non facit quòd Deus non habeat semper eandem virtutem.

Resp. neg. ant. quia dato illo impossibili non sequitur, quod à Deo producatur creatura infinita secundum essentiam; siquidem agentia naturalia agunt tantùm secundum exigentiam effectus: cum autem implicet produci creaturam infinitam, sic Deus nusquam illam produceret, quamvis ageret ex necessitate naturæ.

Obj. ultimò. Potest dari creatura ita perfecta ut non possit dari perfectior; ergo potest dari infinitum actu. Prob. ant. potest dari creatura ita imperfecta, ut non possit dari imperfectior; ergo potest dari creatura ita perfecta, ut non possit dari perfectior.

Resp. neg. ant. ad cujus probationem neg. ultimam consequentiam & paritatem: quia res sunt imperfectę quò magis recedunt ab esse divino: unde cum sit possibilis omnimodus recessus scilicet nihilum; ita potest dari substantia omnium imperfectissima, quæ quasi accedit ad nihilum, scilicet materia prima. Res verò sunt perfectiores quò magis accedunt ad esse divinum, & cum dato quocumque accessu supersit semper alius & alius major, cum esse divinum sit infinitum, non potest dari creatura ita perfecta ut non possit dari perfectior.



ARTICULUS II. & ULT.

Utrùm possit dari infinitum actu secundum quantitatem & qualitatem.

NOtandum est, difficultatem non procedere de facto, sed tantùm de possibili: quia certum est omnem magnitudinem & multitudinem esse finitam & limitatam, omnemque qualitatem esse finitè intensam.

Dicendum est, non posse dari etiam divinitùs infinitum actu secundum quantitatem & qualitatem.

Prob. Omnis quantitas & omnis qualitas debet esse semper finita; ergo non potest dari infinitum secundum quantitatem & qualitatem. prob. ant. illa debent esse finita, quæ debent recipi in subjecto finito: atqui quantitas & qualitas debent semper recipi in subjecto finito & limitato: quia omne corpus naturale & physicum habet formam substantialem finitam & limitatam per suam materiam, quia unumquodque finitur & limitatur per suum oppositum: ergo quantitas & qualitas debent semper recipi in subjecto finito.

Obj. 1. Datur infinitum in potentia; ergo potest dari infinitum actu, quia frustra est illa potentia quæ non reducitur ad actum.

Resp. negando conseq. & dist. ejus probationẽ. Frustra est illa potentia quæ non potest reduci ad actum, vel perfectum vel imperfe-

ctum con. perfectum tantùm, neg. quia potentia v. g. quam habet continuum, ut dividatur in actum perfectum, non debet tamen tota simul in actum reduci, sed sufficit ut successivè reducatur in actum admixtum potentialitate, unde continuum est divisibile, & potest semper dividi in partes, & hoc modò ejus potentenția potest reduci ad actum divisibilitatis.

Obj. 2. Infinitum actu in magnitudine non repugnat ex parte magnitudinis, quia de se non est determinata habere terminum; ergo potest dari infinitum actu in magnitudine.

Resp. dist. ant. Non repugnat ex parte magnitudinis in communi, & secundum se præcisè con. in specie & in actu exercito, neg. quia, ut ait sanctus Thomas 1. p. q. 7. a. 3. ad 2. licet infinitum non sit contra rationem magnitudinis circularis vel triangularis, non autem possibile est in genere esse quod in nulla specie est; unde non est possibile esse aliquam magnitudinem infinitam, cum nulla species magnitudinis sit infinita; nulla enim est magnitudo quæ non terminetur & limitetur aliquâ figurâ, vel sphericâ vel cubicâ.

Obj. 3. Deus potest producere possibilem Angelorum multitudinem: atqui illa possibilis Angelorum multitudo est infinita; ergo Deus potest producere infinitum in multitudine.

Resp. dist. maj. Deus potest producere possibilem multitudinem Angelorum in sensu distributivo con. in sensu collectivo neg. quia si Deus produceret omnes Angelos possibiles in sensu collectivo, ita ut nullus alius Angelus

producendus supereſſet, exhauriretur Dei potentia, quod non poteſt dici.

Obj. 4. & ultimò. Gratia eſt qualitas: ſed gratia poteſt eſſe infinitè intenſa; ergo poteſt dari qualitas in intenſione infinita. prob. min. ſi gratia non poſſet eſſe infinitè intenſa, vel illa repugnantia ſe teneret ex parte Dei, vel ex parte gratiæ, vel ex parte ſubjecti: atqui illa repugnantia ex nullo capite provenit; ergo gratia poteſt eſſe infinitè intenſa. prob. min. quoad omnes partes. 1. Non ſe tenet ex parte Dei, quia habet virtutem infinitam. 2. Non ſe tenet ex parte gratiæ, cùm gratia ſit participatio infinitæ naturæ Dei. 3. Non ſe tenet ex parte ſubjecti cum ſubjectum recipiat gratiam ſecundum potentiam obedientialem, quæ ſecundum ſe eſt infinita, & poteſt recipere qualemcumque formam; ergo repugnantia ex nullo capite provenit.


Reſp. neg. min. ad cujus probationem dico, quòd illa repugnantia provenit ex illo triplici capite. 1. Ex parte Dei, quia ſi Deus produceret gratiam infinitè intenſam, exhauriretur illius potentia, cum non poſſet producere perfectiorem. 2. Repugnat ex parte gratiæ, quia omne ens per participationem eſt creatum & finitum; ergo cum gratia ſit ens per participationem, quælibet gratia eſt ens finitum. 3. Repugnat ex parte ſubjecti; quia ut ait ſanctus Thomas, intenſio convenit qualitatibus, ſive fiat per ordinem gradûs ad gradum, ut docet Scotus, ſive fiat per majorem radicationem in ſubjecto, ut docet Schola Thomiſtica, ſemper talis intenſio convenit qualitatibus per ordinem ad ſubjectum; ergo non

potest dari qualitas infinitè intensa, si subjectum qualitatis sit finitum.

Inst. Gratia Christi de facto fuit infinita secundum intensionem; ergo potest dari infinitum secundum intensionem qualitatis. probatur subsumptum. 1. Quod potest habere effectum infinitum, potest esse infinitum: atqui gratia Christi potest habere effectum infinitum, quia poterat se extendere ad justificandos & salvandos infinitos homines si essent; ergo illa gratia erat infinita. 2. Absurdum est dicere gratiam puræ creaturæ posse pertingere ad perfectionem & intensionem Chisti gratiæ; ergo gratia Christi fuit de facto infinita secundum intensionem.

Resp. 1. neg. subs. & ad probationem, quantum ad primam partem dist. maj. Quod se extendit ad effectum infinitum est infinitum vel physicè vel moraliter con. physicè tantùm neg. quia gratia Christi habet infinitum effectum, vel propter infinitatem moralem, vel propter unionem divinæ personæ, cui anima Christi est conjuncta.

Resp. 2. ad secundam partem distinguendo ant. Absurdum est dicere, quòd gratia puræ creaturæ possit pervenire ad intensionem physicam & moralem gratiæ Christi, con. ad intensionem physicam tantùm neg. quia gratia alterius hominis semper esset infra gratiam Christi; licet esset adeò intensa secundum intensionem physicam ac gratia Christi.



QUÆSTIO IV.

De Tempore.



QUÆ magis apud homines familiaria & usitata sunt, hæc minùs ab hominibus cognita. Videntur & conspiciuntur plurima, & tamen semper latent: nimis assiduè percipiuntur à sensibus multa, quorum natura intellectum humanum fugit; plurimarum rerum nomen omnibus notum, natura nemini cognita. Communis ferè omnibus serenatæ lucis lætitia, cum sol suâ amicâ luce toti orbi illuceat, & pauci quibus nobilissima lucis natura innotescat. Nihil juxta aureum Divi Augustini effatum, familiarius & notius in loquendo commemoramus quàm tempus, & intelligimus ubique cum id loquimur. Intelligimus etiam cum alio loquente id audimus, nihil communius quam ipsius temporis nomen & usus, & nihil occultius & ab hominum cognitione magis remotum, quàm ipsa temporis natura; ita ut cum Aug. 11. conf. cap. 14. clamitent singuli, *si nemo ex me quærat, quid sit tempus scio; si quærenti explicare velim, nescio.* Quantumvis tamen occulta sit temporis natura, quædam de tempore ibi dicenda existimamus, eâ perspicuitate quâ poterimus; sed cum tempus propriè significet durationem

rerum successivarum, priùs aliqua de duratione in communi sunt tractanda.



ARTICULUS I.

Quomodo duratio distinguatur à re durante, & quotuplex sit mensura durationis.

Notandum est, quòd duratio est modus adveniens rei, quo formaliter & intrinsecè res dicitur in suo esse permanere; ideò duratio definitur persistentia in existendo.

Dicendum est 1. durationem distingui realiter à re durante.

Prob. Illud distinguitur à re, quod advenit ipsi rei existenti: atqui duratio est aliquis modus accidentalis adveniens rei existenti in secundo instanti; ergò duratio distinguitur realiter à re durante. prob. min. priùs est rem existere, quàm durare; res enim non dicitur durare quando concipitur incipere, sed quatenus intelligitur in suo esse permanere; ergò duratio est quidam modus accidentalis adveniens rei existenti, & proindè duratio distinguitur realiter à re durante. Inde etiam conjiciendum est quòd duratio & existentia rei durantis distinguntur realiter, licèt non possint separari, quia separatio realis non est semper necessaria ad distinctionem realem.

Dicendum est 2. & ultimò, triplicem esse mensuram durationis, scilicet æternitatem, æviternitatem & tempus. Æternitas, quæ de-

finitur à Boëtio , interminabilis vitæ tota simul & perfecta possessio , convenit rei quæ nullum initium habet , nullumque potest habere finem. Æviternitas , quæ definitur duratio tota simul rei immutabilis secundum esse , & non secundum operari , convenit rei quæ licet initium habuerit , finem tamen nullum potest habere ; tales sunt substantiæ spirituales. Tempus , quod definitur ab Arist. 4. phys. numerus motûs secundum prius & posterius , convenit rei quæ habuit initium & habebit finem.



ARTICULUS II.

Utrùm tempus sit ens reale.

Dicendum est, tempus esse verum ens reale.

Prob. 1. Duratio entis realis , est ens reale : nam quidquid est in rerum naturâ , verè realiter durat , ac proinde habet durationem realem : atqui tempus est duratio motûs , & rerum corruptibilium realiter existentium : ergo tempus est ens reale.

Prob. 2. Motus primi mobilis nemine cogitante plus durat , quàm motus lapidis : ergo habet majorem durationem nemine cogitante : atqui duratio motûs primi mobilis est tempus : ergo tempus existit nemine cogitante , & consequenter est ens reale.

Obj. 1. Quod non habet partes reales, non

est ens reale: atqui tempus non habet partes reales; siquidem partes temporis præteritæ non sunt reales, quia jam transierunt; partes etiam futuræ non sunt reales, quia nondum sunt; partes etiam temporis præsentes non sunt reales, quia tempus nullas habet partes præsentes, quod enim præsens est de tempore, est tantum instans indivisibile; ergo tempus non est reale.

Resp. neg. min. quia licet nihil sit præsens de tempore totum simul præter instans, non sequitur quòd non habeat partes præsentes successivè transeuntes; cum enim illæ partes dicantur præteritæ, debuerũt esse aliquando præsentes.

Obj. 2. Numerus dependet ab anima, ex Arist. & Sancto Thom. ergo tempus non est ens reale.

Resp. dist. ant. Numerus actualis dependet ab anima con. numerus radicalis, neg. quia numerus actualis, nihil aliud est quàm actualis numeratio, & mensuratio partium motûs, quæ mensuratio dependet quidem ab anima numerante; radicalis tamen & in actu primo convenit ipsi tempori independenter ab anima, quatenus habet partes sibi continuè succedentes ex parte rei.



ARTICULUS III.

Quid & quotuplex sit tempus.

DIcendum eſt. 1. Tempus definiri ab Ariſt. 4. phyſ. cap. 11. textu 101. *numerum motûs ſecundum prius & poſterius.*

Prob. & expl. definitio. 1. Dicitur *numerus motus*, hoc eſt menſura, quia diuturnitas vel brevitas exiſtentiæ motus menſuratur tempore. 2. Additur *ſecundum prius & poſterius*, hoc eſt, tempus eſt menſura motûs habentis partes priores & poſteriores, ſive ſucceſſivè fluentes.

Dicendum eſt, plurima eſſe tempora particularia, licet ſit unicum tempus univerſale.

Prob. prima pars concluſionis. Tempus eſt menſura motûs; ergo ſicuti dantur plures motus, dantur etiam plura tempora.

Prob. ſecunda pars concluſionis. Illud eſt tempus univerſale, à quo cætera tempora particularia menſurantur: atqui eſt unicum tempus univerſale, nempe tempus primi mobilis, à quo alia tempora particularia menſurantur; ergo, &c.

ART.



ARTICULUS IV.

Utrùm tempus ratione instantis, sive nunc indivisibilis existat.

Notandum est, quod tempus propriè dictum subjectatur in illo corpore, cujus motus est magis uniformis & regularis, & quo regulantur cæteri motus. Tale est primum mobile; in illo autem subjectatur tempus propriè dictum, & est illi intrinsecum, extrinsecum verò respectu omnium aliorum corporum, quorum motus regulantur per motum primi mobilis; aliquis enim v. g. dicitur studuisse per diem; per respectum ad unam circulationem primi mobilis. Cum autem tempus sit duratio successiva, & continuò fluens, quæritur an tempus existat, vel ratione partis, vel ratione instantis.

Dicendum est, tempus existere solum ratione instantis, sive nunc indivisibilis.

Prob. Quod est successivum non potest existere ratione alicujus partis: sed tempus est successivum; quia tempus est duratio rei successivæ; mensura autem debet proportionari mensurabili: ergo tempus non existit ratione partis, sed tantùm ratione instantis. Prob. maj. quod habet plures partes simul existentes, non est successivum: quia res successiva postulat formaliter, & ex natura sua, ut una pars non simul existat cum alia: nam existere suc-

cessivè, est ita existere, ut una pars non coexistat alteri, sed quod una pars fluxerit, & alia fluxura sit: atqui si tempus existeret ratione alicujus partis, haberet etiam plures partes simul existentes: ergo si tempus existeret ratione partis, non esset aliquid successivum. prob. min. quælibet pars, ut ait sanctus Thomas, cujuslibet rei successivæ est, divisibilis in alias partes: ergò si tempus existeret ratione alicujus partis, haberet etiam plures partes simul existentes.


Obj. 1. Tempus hăbet partes prætericas & futuras: ergò habet partem præsentem. prob. conseq. præteritum est illud quod fuit præsens: futurum verò est illud quod debet esse præsens, ergò si tēpus habeat partes præteritas & futuras, debet etiam habere partes præsentes, & actu existentes.

Resp. neg. consеq. ad cujus probationem dist. ant. Præteritum est illud quod fuit præsens ratione instantis con. ratione sui neg. quia tempus est quidem ens reale & physicum, & proindè debet habere partes: sed ut aliquid sit reale & physicum, sufficit ut habeat partes existentes, vel in fieri, vel in facto esse, vel ratione sui, vel ratione instantis. Tempus autem habet partes existentes in fieri & ratione instantis: siquidem cum moveri successivè idem sit ac moveri in fieri, & tendere ad factum esse, & cum partes temporis sint successivæ, se habent sicut in fieri, & instans quod est terminus illarum se habet sicuti esse factum earumdem.

Obj. 2. & ultimò. Instans non potest reddere partem præteritam, præsentem & actu

existentem; quia supponit eam non præsentem & non existentem; ergò præteritum debuit esse præsens ratione sui, non verò ratione instantis.

Resp. dist. ant. Instans non potest reddere partem præteritam præsentem initiativè conc. consummativè neg. quia instans quod præcedit aliquam partem, reddit illam initiativè præsentem & existentem in fieri: instans verò quod subsequitur eandem partem, reddit illam consummativè præsentem & existentem in facto esse.



QUÆSTIO V.

De loco & vacuo.

POstquam egerimus de tempore quod est mensura motus quo acquiritur locus, nunc de ipso locò agendum; quia verò vacuum videtur esse locus non repletus corpore, subjungenda hìc sunt plurima de vacuo, plurimæque sunt examinandæ experientiæ quæ à recentioribus afferuntur, quod ut facilius & felicius fiat, quæretur an aër sit gravis vel levis.



ARTICULUS I.

De loco extrinseco contra Cartesium.

NOtandum est 1. locum distingui in extrinsecum & intrinsecũ. Locus extrinsecus est aliquid, tamquam receptaculum, extra corpus locatum existens. Locus verò intrinsecus est præsentia & habitudo ipsius rei locatæ ad locum, per quam dicitur formalitas locata.

Notandum est 2. quòd juxta Cartesium 2. parte princ. num. 15. *Locus externus sumi potest pro superficie quæ proximè ambit locatum. Notandumque est per superficiem, non hic intelligi ullam corporis ambientis partem, sed medium terminum, qui medius est inter ipsum corpus ambiens, & id quod ambitur; quique nihil aliud est quàm modus.*

Notandum est 3. quòd in duobus videtur peccare illa Cartesij sententia. 1. Peccat in hoc, quod Cartesius videatur docere quod superficies non subjectetur in corpore ambiente. 2. Quando dicit quod superficies illa est tantùm modus: certum est enim quod superficies est accidens siquidem superficies est species quantitatis, quantitas autem est accidens, ut fusè probatum fuit contra Cartesium; ergo superficies est etiam accidens.

Notandũ est 4. quod juxta peripateticos locus externus definitur: *Superficies prima corporis*

continentis aliud immobiliter, hæc definitio traditur ab Arist. 4. Phys.

Dicendum est, definitionem loci traditam ab Aristotele esse bonam.

Prob. 1. & explicatur talis definitio. 1. Locus dicitur superficies; quia est finis & terminus extrinsecus illius corporis quod aliud corpus continet, & per hoc distinguitur à lineâ, quæ carens latitudine non potest aliud ambire; similiter differt à corpore, quod habens profunditatem non potest aliud continere. 2. Dicitur superficies prima; quia corpus est illa superficies quæ proximè & immediatè tangit corpus cōtentum contactu proprio, qui fit quando ultima sunt simul, hoc est, quando superficies prima corporis continentis tangit primam superficiem corporis contenti. 3. Dicitur prima superficies corporis; quia cum superficies sit accidens, debet inesse corpori tanquam subjecto. 4. Dicitur prima superficies corporis continentis; quia nisi contineret actu aliud corpus, non esset propriè locus. 5. Dicitur prima superficies corporis continentis aliud; quia locus debet esse quid distinctum realiter à locato; alioquin prima superficies pellis alicujus hominis esset illius locus. Ultimò denique locus dicitur prima superficies corporis continentis aliud immobiliter; quia locus formaliter sumptus est terminus motûs localis; ergò debet esse immobilis; alioquin nusquam posset attingi.

Prob. 2. superficies continens habet omnia munera quæ pertinent ad veram rationem loci; siquidem loci munera sunt. 1. Continere corpus. 2. Repleri ab illo. 3. Illud conservare,

si sit locus naturalis: atqui superficies habet omnia illa munera. 1. Superficies continet locatum; nam superficies concava dolij continet vinum. 2. Superficies repletur à locato, ut patet. 3. Superficies conservat locatum: unde omnia corpora naturaliter quærunt contineri intra superficiem corporis amici; ergo superficies continens habet omnia munera quæ ad veram rationem loci pertinent.



ARTICULUS II.

De loco extrinseco contra Bernerium Gassendi discipulum.

NOtandum est, quod Bernerius priusquā agat de loco, plurima dicit de spatio lib. 1. de principiis cap. 1. de spatio. Docet autem quod, *Duplex est extensio. Prima est extensio materialis, corporea & impenetrabilis, quæ omnibus tribuitur corporibus. Secunda est extensio incorporea & penetrabilis quæ tantum tribuitur spatio, & quæ proinde vocatur à Bernerio, extensio spatialis, vel localis. Extensio corporea v. g. est longitudo, altitudo & profunditas aquæ vel aëris, aut laterius corporis contenti in aliquo vase: extensio verò incorporea & spatialis est longitudo & profunditas quam semper concipimus inter latera vasis, etiamsi aqua & quodcumque aliud corpus ab illo vase expelleretur.*

Notandum est 2. quod postquam Bernerius fusè egit de spatio, conatur explicare naturã loci, & dicit locum esse tantùm spatium quod vocatur vacuum, quando omni est privatum corpore: & dicitur locus, quando aliquo est repletus corpore.

Dicendum est, falsam esse Bernerij sententiam circa loci extrinseci naturam.

Prob. duo falsa supponit Bernerius loci extrinseci naturam explicans; ergo falsa est Bernerij sententia. Prob. ant. 1. Supponit dari aliquam extensionem incorpoream & immaterialem. 2. Supponit solum spatium posse habere rationem loci, quia soli spatio potest convenire immobilitas, non verò superficiei: atqui illa duo falsa sunt; ergo duo falsa supponit. Prob. min. quoad omnes partes.

1. Non potest dari extensio immaterialis & incorporea, quia nulli potest convenire subjecto, non quidem spatio quod concipitur vacuum, quia immateriabilitas convenit tantũ substantiæ vel accidenti: atqui illud spatium non est substantia, neque accidens. Ut ipse fatetur Bernerius; ergo, &c.

2. Supponit quod superficies non potest esse immobilis: atqui falsum est quod superficies non possit esse immobilis, ut autem contra Bernerium probetur superficiei immobilitas, sit.



ARTICULUS III.

De immobilitate loci extrinseci.

NOtandum est, quod de immobilitate loci, conveniunt omnes Philosophi, sed in omnes partes se versant, ut eam loci immobilitatem tueantur.

Alij dicunt locum esse immobilem, quia non movetur ad motum corporis locati, sed recedente locato manet.

Sed si illa interpretatio esset vera, sufficeret eadem immobilitas in loco, quæ in vase; vas enim non movetur motu contenti, hoc est quando aqua movetur in vase, vas ipsum aliquando non movetur: atqui non sufficit illa immobilitas in loco, hoc est locus debet esse immobilis non tantùm motu contenti, sed etiam motu continentis; siquidem, ut advertit sanctus Thomas opusc. 52. Arist. exigit majorem immobilitatem in loco, quàm in vase; unde vocat vas locum mobilem; locum verò, vas immobile; ergo, &c.

Alij plerique recentiores (ut refert author Philosophiæ novæ & veteris in Regia Burgundia pertractatæ) loci immobilitatem propugnaturi, ad partes immensitatis divinæ confugiunt: adeo ut res sit in certo loco, quia parti divinæ immensitatis virtuali respondet, quæ ab alia diversa est. Verùm hæc sententia optimè ab eodem authore rejicitur tract. metaph. q. 6. de loco.

, Nonnulli dicunt, locum fieri immobilem per ordinem quem dicit ad primum continens, seu locans, hoc est ad primum cœlum. Hanc ultimam sententiam ut probabiliorem sequimur.

Dicendum est locum fieri immobilem per ordinem quem dicit ad primum continens, hoc est ad primum cœlum.

Prob. ratione desumptâ ex S. Th. 4. phys. lect. 4. Locus non tantũ est cõtinens sed etiam conservãs locatũ: nihil autem habet rationẽ conservantis aliud, nisi per virtutem & influẽtiam corporis cœlestis, quam recipit secũdum quod est in determinato situ, & determinata distantia ad corpus cœli: ergo locus fit immobilis per ordinem quem dicit ad primum locans. Proinde quamvis turris eadem diversis successivè circumscribatur superficiebus aëris, manet tamen in eodem loco, quia omnes illæ superficies servant semper eundem situm & ordinem ad primum locans.



ARTICULUS IV.

Quid & quotuplex sit ubi.

Dicendum est, ubi, quod (ut dictum fuit in Logica) est aliqua forma accidentalis intrinseca inhærens in re locatâ, dividi in supernaturale, sive sacramentale, in definitivum, & in circumscriptivum.

Prob. & explicatur talis divisio. Ubi sacramentale, sive supernaturale est formalitas

quæ non debetur naturæ corporum, unde dicitur supernaturalis, & illâ formalitate corpus Christi fit præsens ad species, sive accidentia Eucharistica modo indivisibili; ita ut sit totum in tota hostia, & totum in qualibet parte hostiæ, & ita est præsens ad illas, ut possit esse ad alias. Ubi definitivum, est aliqua formalitas, quâ substantiæ spirituales (quales sunt Angeli) ita applicantur ad aliquem locũ, ut non possint esse in alio; ita ut tamen sint in toto loco & in qualibet parte loci. Ubi denique circumscriptivum, quod alio nomine appellatur circũscriptio, sive præsentia localis passiva proveniens & resultans in corpore locato à circumscriptione & præsentia activa corporis locantis; tale autem ubi est forma quædam accidentalis per quam corpus ita determinatur in uno loco, ut non possit esse in alio, & per quam etiam corpus ita applicatur & constituitur in loco, ut totum respondeat toti loco, & singulæ ejus partes respondeant singulis partibus loci.



ARTICULUS V.

Utrùm duo corpora possint esse in eodem loco tam naturaliter, quam supernaturaliter.

NOtandum est, duo corpora esse in eodem loco & se penetrare, idem est, ac contineri sub eadem superficie corporis ambientis, & in eadem omninò distantia ad

puncta fixa mundi; siquidem penetratio est duorum, vel plurium corporum in uno loco simultanea existentia. Unde dicere penetrationem esse possibilem, est dicere, duo vel plura corpora contineri simul in eodem loco.

Dicendum est, duo corpora posse esse simul in eodem loco supernaturaliter, non tamen naturaliter.

Prob. 1. Sacræ Scripturæ testimonio: Christus clauso sepulchro & immoto lapide exivit, & clausis januis venit ad discipulos: atqui illa non facta fuerunt, nisi quia facta fuit penetratio supernaturaliter; ergò duo corpora possunt esse in eodem loco supernaturaliter.

Prob. 2. ratione; De ratione quantitatis est ordinare partes in toto; ita ut una non sit alia; & deindè illas extendere in loco: ita ut una non intret in locum alterius: ergò si quantitas hoc habet in ordine ad proprias partes quæ simul conjunguntur, multò magis illud præstat respectu corporis à se divisi; non permittendo ut suas partes & locum intret & occupet: ergò duo corpora naturaliter non possunt esse in eodem loco: atqui illa expulsio actualis unius corporis ab alio potest tolli à Deo, quia est effectus secundarius quantitatis (ut patet exemplo extensionis in ordine ad locum) quæ tollitur in venerabili Eucharistiæ Sacramento: ergò duo corpora non possunt esse in eodem loco naturaliter: benè tamen supernaturaliter.

Obj. 1. Implicat aliquam formam communicari subjecto; quin illi communicetur effectus formalis: atqui expulsio unius corporis ab alio est effectus formalis quantitatis; ergò

duo illa corpora quæ habent quantitatem, debent se invicem pellere ab eodem loco; & proindè non possunt se penetrare.

Resp. dist. maj. Implicat aliquam formam communicari, quin communicetur effectus formalis primarius & privativus, con. secundarius & positivus neg. quia expulsio actualis sequitur ad extensionem internam & externam, & proindè est effectus secundarius. Preterea fundatur in contactu positivo duorum corporum; siquidem duo corpora dicuntur se mutuò expellere, quatenus se tangunt tantùm secundum extrema, non verò secundum se tota; & ita talis effectus est positivus, & debetur quantitati tantùm naturaliter, non verò essentialiter; & consequenter potest tolli supernaturaliter.

Inst. Quandiu aliquod corpus est in loco, sequitur privatio alterius corporis in loco eodem; ergò expulsio actualis est effectus privativus; & proindè non potest tolli supernaturaliter.

Resp. dist. ant. Sequitur privatio alterius corporis secundariò, & per accidens, con. primariò & per se, neg. quia privatio alterius corporis non est effectus formalis quantitatis, sed est aliquid secundariò ad illam consequens.

Obj. 2. Duæ partes ejusdem continui non possunt se ad invicem penetrare; ergò nec duo corpora. prob. ant. Primo, quia de essentia quantitatis est, habere partes extra partes. Secundò, quia duæ partes quantitatis successivæ non possunt absolutè esse simul. v. g. duæ horæ, duo dies. Tertiò, quia si Deus reduceret

ret totam quantitatem brachii ad locum ubi esset digitus, quantitas brachii esset æqualis quantitati digiti; ergò duo corpora non possunt esse in eodem loco.

Resp. 1. neg. ant. & ad primam probationem dist. istam propositionem. De essentia quantitatis est, habere partes extra partes in ordine ad se sive in toto con. in ordine ad locum neg. quia ut probatum fuit in Logicâ, extensio partium in ordine ad se, est ratio formalis constitutiva quantitatis.

Resp. 2. neg. ant. & ad secundam probationem nego conseq. & paritatem. Ratio disparitatis est; quia ipsa ratio quantitatis successivæ requirit, ut una pars sit post aliam, & & ita illæ partes non possunt se penetrare; non autem est essentia quantitatis permanentis, ut una pars sit extra locum alterius; proinde duæ partes possunt esse simul in eodem loco.

Resp. 3. neg. ant. & ad tertiam probationem dist. maj. Si Deus reduceret quantitatem brachii ad locum digiti, quantitas brachii esset æqualis quantitati digiti in ordine ad locum, con. in ordine ad totum, neg. quia illa quantitas brachii petit habere majorem extensionem in loco, quam quantitas digiti; licet de facto non occupet illam.

Obj. ultimò. Duo corpora sunt semper impenetrabilia; ergò non potest dari penetratio, nec naturaliter, nec supernaturaliter. prob. ant. Illa duo corpora sunt semper quanta: atqui quod est quantum, est impenetrabile; ergò illa duo corpora sunt impenetrabilia. prob. min. quod est quantum est divisibile; ergò

quod est quantum est impenetrabile. prob. conseq. ideò quod est quantum, est divisibile, quia divisibilitas est proprietas quantitatis: atqui similiter impenetrabilitas est proprietas quantitatis; ergò quod est quantum, est impenetrabile.

Resp. neg. ant. ad cujus probationem dist. min. Quod est quantum, est impenetrabile, vel formaliter vel radicaliter con. formaliter tantùm neg. quia non aufertur à quantitate impenetrabilitas aptitudinalis, sicut nec divisibilitas; quantitas enim exigit, ut sit impenetrabilis & divisibilis; sed actus illi impediuntur divinitus.



ARTICULUS VI.

Utrùm unum corpus possit esse simul in duobus locis circumscriptivè

Notandum est, corpus esse in loco circumscriptivè, est ita commensurari loco, ut totum corpus respondeat toti loco, & singulæ ejus partes singulis partibus loci; ita ut caput non respondeat illi parti loci cui respondet pes: similiter corpus esse in loco circumscriptivè, est ita circumscribi & limitari per superficiem corporis ambientis, ut non possit esse in alio loco: quærere igitur utrum corpus possit esse simul in duobus locis circumscriptivè, est quærere, utrùm idem corpus possit respondere duplici superficiei corporis ambientis.

Dicendum est, unum corpus non posse esse simul in duobus locis circumscriptivè, nec naturaliter nec supernaturaliter.

Prob. Deus non potest efficere, ut unum corpus sit unum, & non sit unum: atqui si corpus unum, esset in duobus locis circumscriptivè, esset unum, ut supponitur, & non esset unum; quia corpus individuatur à quantitate tanquam à principio radicali; ergò ubi est diversa & multiplex quantitas, ibi est diversum & multiplex corpus: atqui si unum corpus esset in diversis locis circumscriptivè, in illo esset diversa & multiplex quantitas; ergò illud corpus esset diversum & multiplex. prob. min. superficies est quantitas: atqui in corpore in plurimis locis simul constituto deberet esse multiplex superficies; ergò deberet esse multiplex quantitas. prob. min. esse in locis circumscriptivis, est primam superficiem corporis locati circumscribi per duas superficies corporum locantium: atqui non potest terminari per diversas superficies, nisi habeat diversas superficies; ergò in corpore in diversis locis constituto debet esse multiplex superficies.

Obj. 1. Corpus Christi erat simul in Cœlo & in aëre, quando apparuit Divo Paulo proficiscenti Damascum; quia non potest dici, quòd tunc deseruerit Cœlum; ergo unum corpus potest esse in duobus locis circumscriptivè.

Resp. neg. ant. & dist. illius probationem. Christus non potuit deserere Cœlum per longum temporis spatium con. per breve nego. quia corpus Christi non est in Cœlo tanquam in carcere, sed tanquam in loco suæ gloriæ de-

bito, ita potest deserere illum locum; nec indè sequitur, quòd ex illo descensu ullo modo minuatur gloria sanctorum, quia illum æquè benè intuentur existentem in hoc mundo inferiori, ac dum est in Cœlo. Quantùm autem ad alias apparitiones, dicendum illas non factas fuisse in proprio corpore, sed secundum aliquam illustrationem vel illuminationem ex parte videntium; quia producebantur species in oculis spectantium, quibus corpora alio in loco existentia ibi repræsentabantur, ac si essent præsentia: vel illæ apparitiones factæ fuerunt per Angelos sibi assumentes corpora ex aëre.

Obj. 2. Corpus Christi est in Cœlo circumscriptivè, & in terra sacramentaliter; ergò potest esse in duobus locis circumscriptivè. prob. conseq. difficilius est habere duas præsentias locales diversæ rationis, quam duas ejusdem rationis: atqui esse in uno loco circumscriptivè, & esse in alio loco sacramentaliter sunt duæ præsentiæ diversæ rationis; esse verò in duobus locis circumscriptivè sunt duæ præsentiæ ejusdem rationis; ergò si corpus Christi possit esse in uno loco circumscriptivè & in alio sacramentaliter, à fortiori potest esse in duobus locis circumscriptivè.

Resp. neg. conseq. & parit. ad cujus probationem neg. maj. quia licet idem corpus possit esse in uno loco circumscriptivè, & in alio sacramentaliter: similiter licet unum corpus possit esse in diversis locis sacramentaliter, non tamen potest esse in duobus locis circumscriptivè, quia illæ præsentiæ locales diversæ rationis non sunt incompossibiles, ex

eo quod proveniunt à diversis principiis: siquidem corpus Christi est in Cœlo per quantitatem, & est in sacramento ratione substantiæ panis in propriam conversæ: similiter corpus Christi potest esse in pluribus locis sacramentaliter, quia ratio formalis per quam corpus Christi constituitur in loco sacramentaliter est transmutatio substantiæ panis in substantiam corporis Christi, & cum hæc transmutatio possit multiplicari, ut fides docet, consequenter unum corpus potest esse in diversis locis sacramentaliter, corpus autem non potest esse in duobus locis circũscriptivè, quia duæ præsentiæ locales circumscriptivè sunt incompossibiles, cum proveniant à quantitate quæ non potest multiplicari in uno corpore.

Obj. 3. Corpus Christi est in Cœlo circumscriptivè: atqui simul potest esse in terra circumscriptivè; ergò unum corpus potest esse in duobus locis circumscriptivè. prob. min. potest esse simul in terra circumscriptivè, si quantitas quam habet in Sacramento, possit habere suam extensionem localem: atqui hujusmodi quantitas cessante miraculo potest habere suam extensionem localem, cum sit proprietas quæ debetur naturaliter corpori; ergò unum corpus potest esse simul in Cœlo & in terra circumscriptivè.

Resp. neg. min. ad cujus probationem dist. min. potest habere suam extensionem localem absolutè & simpliciter con. factâ suppositione, neg. quia factâ suppositione quòd corpus Christi sit in Cœlo circumscriptivè, quantitas quam habet in Sacramento non potest habere extensionem localem.

Obj. ultimò ex Sancto Thoma. 3. p. q. 6. art. 6. Eadem natura potest terminari tribus personalitatibus divinis, & subsistere per subsistentiam Patris, Filii, & Spiritus Sancti: ergò idem corpus potest terminari diversis superficiebus locorum.

Resp. neg. conseq. & paritatem. Quia tres personalitates divinæ terminando naturam aliquam, non illam dividerent nec multiplicarent, quia (ut ait Sanctus Thomas eodem loco) persona incarnata subsistit in duabus naturis, scilicet divinâ & humanâ: sed tres personæ possunt subsistere in unâ naturâ divinâ: ergò possunt subsistere in unâ naturâ humanâ: ita scilicet quòd sit una natura à tribus personis assumpta: duæ verò superficies locorum postulantes tangere duas alias superficies corporis locati, dividerent & multiplicarent numericè corpus: siquidem natura materialis multiplicatur numero per respectum ad diversam quantitatem.



ARTICULUS VII.

Utrùm possit dari vacuum magnum & sensibile virtute naturali.

NOtandum est, quod duplex est vacuum juxta Democritum & Gassendum, scilicet coacervatum & disseminatum. Vacuum coacervatum est locus patens & insignis omni corpore destitutus. Vacuum disseminatum est minimum aliquod vacuum intra corporum

poros. De insigni vacuo hîc tantum agemus, de vacuolis disputaturi in subsequenti articulo.

Dicendum est, non posse dari insigne aliquod vacuum virtute naturali.

Prob. Constat experientia, quòd plurima agentia naturalia plurimos producunt effectus contra propriam inclinationem, ut semper servetur colligatio, unio & contiguitas partium universi; ergò non potest dari insigne aliquod vacuum virtute naturali. prob. ant. plurimis experientiis. Experientia docet quòd dum extrahitur aër ex fistula, ex una parte aqua sursum ascendit. Videtur quotidiè quòd in vitreis Cucurvitulis à Chyrurgis ægroto appositis, caro sursùm ascendit, quia aër inclusus ignis calore rarefactus, mox cessante calore condensatur, & ideò minorem locum occupat; oportet ergò ut caro intumescat ad replendum spatium ab aëre relictum. Constat etiam quòd in phiala vitrea inversa, & paululùm in aqua immersâ applicato igne supra extremitatem, aër inclusus rarefit, & remoto igne condensatur, & minorem locum occupat; quare aqua sursùm ascendit ad replendum spatium ab illo relictum. Constat etiam experientiâ quòd vinum non exit è dolio pleno, nisi sit spiraculum quo aër intrare possit ad replendum vacuum quod esset intra dolium, si vinum exiret; ergo constat plurimis experientiis, quòd omnia agentia naturalia producunt plurimos effectus contra propriam inclinationem ad vitandum vacuum.

Obj. 1. Angelus potest inducere vacuum; ergò potest dari vacuum virtute agentis natu-

ralis. prob. ant. Angelus poteſt deſtruere totum aërem exiſtentem in aliquo cubiculo , & impedire ne aliquod aliud corpus ingrediatur; ergò Angelus poteſt inducere vacuum. prob. ant. ex S. Thoma : corpora naturalia obediunt Angelis quoad motum localem ; ergò Angelus poteſt deſtruere totum aërem exiſtentem in aliquo cubiculo , & impedire ne aliud corpus ingrediatur.

Reſp. neg. utrumque ant. & ad prob. diſt. authoritatem Divi Thomæ. Corpora naturalia obediunt Angelis quo ad motum localem , ſi talis motus ſit ad bonum vel malum alicujus particularis , con. ſi ſit ad bonum vel malum univerſi , neg. quia agens particulare non habet vires ut agat contra communem inclinationem , & præcipuum univerſi bonum. Præcipuum autem univerſi bonum conſiſtit in contiguitate ſuarum partium ; ſicut bonum animalis cõſiſtit in recta diſpoſitione partium. Si verò daretur vacuum , deſtrueretur hujuſmodi ordo & contiguitas; & proindè magnum in naturâ induceretur nocumentum, quod quidem non poteſt induci ab Angelis.

Inſt. Si Angelus non poſſet inducere vacuum , maximè quia eſt malum naturæ : atqui vacuum non eſt malum naturæ ; ergò Angelus poteſt inducere vacuum. prob. min. ſi inter duo corpora minimè amica quæ per ſe non affectant mutuũ contactũ, ut inter hominem & Baſiliſcum ; ſi , inquam , inter illa duo corpora daretur vacuum , magnum utrique futurum eſſet bonum , quia Baſiliſcus defectu intermedii non poſſet in hominem infenſam qualitatem transfundere ; ergò vacuum non eſt malum naturæ.

Resp. neg. min. ad cujus prob. dist. conseq. Vacuũ non est malum naturæ particularis, con. non est malum naturæ universalis, neg. quia, ut jam dictum fuit, vacuum destruit colligationem partium universi, & ita est malum naturæ universalis.

Obj. 2. plurimis experientiis. Prima desumitur ex tubo vitreo; apponatur ergò tubus vitreus, qui non assurgat ultra altitudinem triginta duorum pedum, cujus apertura sit ita obstructa digito, & ita ad Horizontem disponatur perpendiculariter, & aperturâ obstructâ mergatur in aliam aquam; ubi amovetur digitus aqua descendit; ita ut sistat suum descensum, quando pervenit ad altitudinem triginta duorum pedum aut circiter; ergo aqua relinquit spatium vacuum ab alia extremitate tubi usque ad prædictam altitudinem. Secunda desumitur ex syphunculo ex quo si extrahatur aër, aqua sursùm quidem ascendit, sed solum ad altitudinem triginta duorum pedum; unde si syphunculus habeat lõgitudinem sexaginta pedum, & cum aër possit magis ac magis semper extrahi, dabitur vacuum ferè triginta pedum; ergò plurimæ sunt experientiæ quæ probant posse dari vacuum naturaliter.

Resp. ad illas experientias, quòd spatium relictum ab aquâ, non esset vacuum, sed plenum aliquo corpore. Quodnam autem sit illud corpus, vel est aër qui ingressus est per poros tubi: nec mirum est quòd corpuscula aëris penetrent poros tubi, cùm secundum adversarios, corpuscula ex magnete exeuntia trajiciunt marmor, & alia corpora solidiora,

cùm moveat ferrum ultra illa corpora; & consequenter aëris corpuscula possunt potiori jure trajicere tubum. Vel illud spatium repletur partibus subtilioribus aquæ: illud autem constat experimento; si enim circa supremam partem tubi vitrei applicetur pannus maximè calefactus, illius calore rarefiunt illæ partes subtiliores, & majorem locum occupantes, faciunt ut aqua inferiùs descendat, contrarium autem contingit, si applicetur pannus nive. v. g. maximè frigefactus.

Inst. si esset aër in summitate tubi, animalcula ibi posita non morerentur: atqui constat experientiâ, quòd animalcula ibi posita moriuntur defectu aëris; ergo non est aër in summitate tubi.

Resp. neg. maj. quia animalcula ibi posita moriuntur defectu aëris crassioris, non verò defectu cujuscumque aëris, aut alterius corporis quodcumque illud sit. Nec mirum si in illâ extremitate tubi posita animalcula moriantur, cùm homines qui altissimorum montium conscendunt cacumina, non possunt præ nimia aëris subtilitate diutiùs vivere.



ARTICULUS VIII.

Utrùm detur vacuum disseminatum

CONTRA GASSENDUM.

DIcendum est, non dari vacuum disseminatum, sive non dari vacuola in corporibus.

Prob. Non datur vacuum magnum & sensibile, ut jam probatum fuit; ergo non datur vacuum disseminatum. Prob. conseq. ideò non datur vacuum magnum & sensibile, quia maximæ corpora contiguitatem & colligationem amantia maximo impetu confluunt ut vacuum impediant: atqui minimæ particulæ non minus amant contiguitatem; ergo debent sese comprimere, & in unum confluere ut vitent vacuum; & proinde cùm non detur magnum & sensibile vacuum; non datur etiam vacuum disseminatum. Præterea omnes rationes quas affert Gassendus ad probandum suum vacuum disseminatum, nullæ sunt, ut patebit ex solutione argumentorum; ergo, &c.

Obj. 1. Si non darentur illa spatiola, nihil posset moveri localiter: atqui aliquid movetur localiter; ergo dãtur spatiola. Prob. maj. moveri localiter est transire de loco in locum: atqui nihil posset transire de loco in locum, nisi darentur illa spatiola; ergo nihil move-

retur localiter. Prob. min. omnia corpora quæ reperirentur, obsisterent ipsi mobili, nisi in illis essent spatiola vacua; ergo nihil posset transire de loco in locum.

Resp. neg. maj. & min. ad quarum prob. neg. ant. quia falsum est quod omnia corpora æquè obsistant corpori advenienti? Quis enim diceret aquam æquè obsistere piscibus natantibus, ac ipsis obsisteret rupes solidissima. Dantur ergo corpora rara & fluida quæ possunt magis cedere quàm solida, & possunt locum solidioribus dare, quatenus se se aperiunt, eorumque partes anterius pulsæ ab alio corpore, recedunt in locum ab eo derelictum.

Inst. illa corpora fluida non possunt cedere locum solidioribus si corpora solidiora non possint incipere suum motum: atqui corpora solidiora non possunt incipere suum motũ; ergo corpora solida non possunt cedere locum solidioribus. Prob. min. ut illa corpora solidiora incipiant motum, debent ad pellendum aërem contiguum versus ipsum procedere saltem ad pili crassitudinem: atqui illa corpora solidiora nõ possunt versus aërem sic procedere; ergo illa corpora solidiora non possunt suum motum incipere. Prob. min. ut illa corpora solidiora procedant versus aërem, saltem ad pili crassitudinem, deberent occupare illud exiguum spatium quod occupavit pili crassitudo: atqui non possunt occupare tale spatium quod occupatur ab aëre, nisi pellant aërem: non possunt autem pellere aërem, quò enim illum pellerent non per latera ad posteriorem locum à corpore solidior.

lidiori derelictum; nullus est enim posterior locus cum corpus solidum nondùm motum fuerit; ergo corpora solidiora non possunt procedere versus aërem ad illum pellendum.

Resp. neg. omnes minores propositiones & ult. prob. quia partes anteriores aëris condensantur; ita ut quantùm aëris pellitur, tantùm per latera dilatatur: siquidem talis est natura corporum fluidorum.

Obj. 2. Rarefactio & condensatio probant dari spatiola vacua; ergo dantur. Prob. ant. experientiâ. Desumatur Bombarda Pneumatica cujus pars tubi, quæ continet aërem comprimendum, sit duorum digitorum, si nulla sint spatiola vacua intermixta in illo aëre, constat quod tanta est moles aëris, quanta est capacitas seu locus intra tubum. Constat etiam quòd nulla est particula loci in quâ non sit particula aëris quæ sit illi adæquata & proportionata, & ita necesse est ut numerus particularum aëris sit æqualis numero particularum loci; & ita si sint intra tubum mille partes aëris, necesse est ut sint mille partes loci; comprimatur deinde aër, & ad unius digiti spatium redigatur, quæritur nunc quomodò se habebunt illę mille partes aëris in illo spatio, cùm sint tantùm quingentæ partes loci, quæritur, inquam, an duæ partes aëris sint in eodem loco, quòd non potest dici; ergo in illo casu condensatio illius aëris probat dari spatiola vacua.

Resp. neg. ant & ad experientiam dico quòd duæ partes aëris condensati non occupant unam tantùm partem loci, sed duas par-

tes minores. Similiter ad rarefactionem una pars aquæ rarefactæ non occupat duas partes loci, sed unam tantùm majorem.

Obj. 3. Constat experientiâ, inquit Gassendus, quod aqua non potest quamcumque salis quantitatem dissolvere, sed ad certam dumtaxat mensuram; adeo ut aqua sale quasi satiata, quidquid salis superest, inexsolutum relinquat. eadem tamen aqua exsoluit saccharum, & alumen ad certam etiam quantitatem: atqui illa experientia probat dari vacuola in aqua: ideo enim aqua exsoluit salem saccharum & alumen, quia aqua habet poros diversæ figuræ in quibus recipiuntur salis, aluminis, sacchari particulæ diversas figuras habentes; vacuola igitur quæ sunt quadrata, aut cubica, minutissimas salis partes ejusdem figuræ excipiunt: his impletis sal amplius dissolvi nequit: sunt item alia foraminula ejusdem cum sacchari, aluminis, aut vitrioli partibus, figuræ, quæ tandem replentur, nec aqua plus dissolvit hujusmodi salium, quàm illa possunt capere spatiola: ergo, &c.

Resp. 1. Quod etiamsi aqua haberet poros vacuos, ipsi pori non essent diversæ figuræ, sed ejusdem, ut ex ipso Gassendo contra ipsummet potest probari, siquidem ubi explicat varios magnetis effectus, docet, quòd pori magnetis sunt ejusdem figuræ, & omnes pori ferri sunt inter se omnino similes: ergo omnes aquæ pori debent esse ejusdem figuræ, cum non sit major ratio de uno corpore quam de alio.

Resp. 2. Cum D. Duhamel de consensu ve-

teris & novæ Philosophiæ lib. 2. cap. 3. experientiam illam nihil concludere: nam aqua sale, saccharo & alumine prægnans intumescit: & licet fortasis in cypho aquâ pleno, ut cinerum, ita salis certa quantitas, citra aquæ effusionem posit accedere: nihilominus tum aquæ superficies multum attollitur, & fit globosior: unde si Thermometro, seu tubo vitreo salem aut cineres imposueris, tantùm crescet aqua, quantum salis injeceris. Non igitur aquæ spatiola penitus inania ex salium solutione demonstrari possunt.

Resp. 3. Ideò aqua salē non potest dissolvere jā certa salis quātitate dissoluta quia in hoc casu eodē modo ratiocinandum est de sale & aqua: sicut enim unus sal non potest fieri magis salsus, licet cum sale commisceatur, quia salis siccitas non patitur, ut major in illo producatur salsedo, ita cum aqua quandam receperit salsedinem ex salis commisti dissolutione, non potest magis salsa fieri, quia aquæ humiditas non patitur, ut majorem recipiat salsedinem, & proinde cum aqua ad certam salsedinis mensuram pervenerit, non est tam contraria sali; & ideo superstitem salem dissolvere nequit.

Resp. 4. Quod aqua totū salē dissolvere nequit quia omnes salis particulæ non sunt ejusdē rationis. Aliæ sunt volatiles, aliæ sunt fixæ; particulæ volatiles facilè intra omnes aquæ partes commiscentur per solum aquæ motum qui ipsi ab aëre extrinseco cōmunicatur: particulæ verò fixæ ob suam gravitatem ad infimam vasis partem descendunt, & ita non possunt dissolvi.



ARTICULUS IX.

Utrùm divinitùs possit dari vacuum,

CONTRA CARTESIUM.

NOtandum est, quòd, quia Cartesius docet extensionem esse de essentiâ corporis, sequitur vacuum etiam divinitùs repugnare; quia, ut aiunt Cartesiani, nullus potest concipere extensionem, quin concipiat corpus: sed sicut falsum esse illud principium jam probavimus, quod etiam ex ipso principio sequitur falsum esse nunc probandum superest.

Dicendum est contra Cartesium, vacuum posse dari divinitùs.

Prob. Vacuum nihil aliud est quàm spatium nullo repletum corpore: atqui non repugnat dari spatium nullo repletum corpore; ergo non repugnat dari vacuum supernaturaliter. prob. min. nihil prohibet quominus Deus efficiat ut corpus aliquod in vase aliquo contentum inde auferatur, & nullum aliud ejus locum impleat: nihil obstat quominùs Deus destruat totum aërem qui reperitur intra parietes unius cubiculi, & impediat ne alius aër ejus locum occupet; ergo non implicat dari spatium aliquod nullo repletum corpore.

Obj. 1. Si totus aër unius cubiculi destrueretur, sequeretur quòd parietes illius cubi-

culi essent distantes, ut supponitur, & non essent distantes, quia inter illos nullum interjaceret corpus; ergo Deus non potest destruere totum aërem unius cubiculi, & impedire ne aliud corpus ingrediatur.

Resp. quòd ut parietes dicantur verè & realiter distantes, non est necesse ut inter illos interjaceat aliquod corpus, sed sufficit ut sit spatium quod quidem non est corpus, ut vult Cartesius, sed spatium illud est aliquid reale, non quidem positivum, sed privativum habens potentiam seu capacitatem ut repleatur.

Obj. 2. Ubi est extensio & mensurabilitas, ibi est corpus; quia extensio & mensurabilitas sunt proprietates corporis: atqui in illo spatio est extensio & mensurabilitas; ergo ibi est corpus.

Resp. dist. maj. ubi est extensio positiva ibi est corpus, con. ubi est extensio privativa, neg. quia quod est privativum non potest esse proprietas corporis positivi.



ARTICULUS X.

Utrùm in vacuo divinitùs introducto possit dari motus.

Dicendum est, dato divinitùs vacuo, posse in eo fieri naturaliter motum localem.

Prob. nulla est repugnantia neque ex parte

mobilis, neque ex parte influentiæ cœlestis, neque ex parte terminorum, neque ex parte medij; ergo non implicat quòd dato divinitùs vacuo, motus fiat in eo naturaliter. Prob. ant. quoad omnes partes. 1. Non repugnat ex parte mobilis, quia supponitur illud corpus esse naturale, & consequenter mobile. 2. Non repugnat ex parte influentiæ cœlestis, quia in illo casu Deus per suum concursum posset supplere influentias cœlestes. 3. Non repugnat ex parte medij, quia nulla esset in medio resistentia quæ posset impedire motum corporis. 4. Non repugnat ex parte terminorum; quia si v. g. Deus destrueret omnem aërem qui est inter concavum lunæ, & terram, & si dato illo vacuo Angelus projiceret lapidem ex concavo lunæ, lapis ille moveretur localiter, siquidem desereret terminum à quo, & acquireret terminum ad quem, scilicet terram; nec tamen ille motus fieret in instanti, licèt nulla esset resistentia in medio, quia sola resistentia medij non est causa successionis quæ reperitur in motu locali: siquidem successio tribuitur limitationi potentiæ moventis, gravitati mobilis & contrariæ inclinationi ejusdem mobilis; ergo cùm ex nullâ parte sit repugnantia in vacuo divinitùs dato, potest fieri motus naturaliter.

Obj. 1. Motus localis terminatur ad ubi intrinsecum; sed ubi intrinsecum non posset dari in vacuo; ergo in vacuo non potest dari motus. Prob. min. ubi intrinsecum provenit à corpore circumscribente tanquam à fundamento proximo; atqui in vacuo nullum esset

corpus circumscribens ; ergo in vacuo non posset dari ubi intrinsecum.

Resp. neg. min. ad cujus prob. dist. maj. Ubi provenit à corpore circumscribente, vel formaliter, vel virtualiter, con. formaliter tantùm, neg. quia, ut per motum localem producatur ubi intrisecum, sufficit ut mobile circumscribatur virtualiter & mediatè, sicut fieret in vacuo per concavum lunæ.

Obj. ultimò: Non daretur motus in spatijs imaginarijs, etiam si darentur: ideò respondent Peripatetici ad suppositionem Lucretij quâ dicit, si poneretur homo ad extremitatem illius spatij habens arcum præ manibus, telumque volatile, vel illud telum posset vibrari, vel non. Respondent Peripatetici quòd telum illud non posset vibrari defectu corporis ambientis; ergo in vacuo divinitùs dato corpus non posset moveri defectu corporis ambientis.

Resp. neg. conseq. & pari. Ratio disparitatis est, quando Peripatetici docent quòd in vacuo potest fieri vacuum, supponunt quòd corpus quod moveretur, mediatè saltem circumscriberetur ab alio corpore. In suppositione verò Lucretij illud non potest dici, quia in illis spatijs imaginarijs nullum esset aliud corpus quo mediatè etiam circumscriberetur illud telum.



ARTICULUS XI.

De gravitate.

CONTRA CARTESIUM.

NOtandum est 1. quòd plurimi recentiores Philosophi asserunt omnes experientias à nobis allatas ad vacui impossibilitatem à gravitate aëris provenire: ideò hîc veræ illorum effectuum causæ sunt inquirendæ. Ut autem meliùs & faciliùs cognoscatur, an aër sit gravis vel levis, agendum priùs de gravitate & levitate in communi.

Notandum 2. quòd adeò difficile est naturam gravitatis agnoscere, ut etiam vix doctissimi Philosophi possint intelligere, an corpus aliquod sit grave vel leve. Plurimi Philosophi docent quòd pleraque corpora sunt gravia, & tendunt versus terræ centrum; & quòd aliqua sunt levia, quia tendunt sursùm, ut ignis. Alii verò Philosophi dicunt quòd omnia corpora sunt gravia, & quod si aliqua sursùm ferantur, talis motus sursùm provenit ex eo quod alia corpora gravia pellantur ab aliis in quibus est major gravitas; sicuti videmus quando commiscentur aqua & oleum, aqua facit ut oleum ascendat, quamvis etiam oleum sit grave. Sed contra illas duas Philosophorum sententias, Cartesiani docent quòd omnia corpora sunt levia, & quòd lapides ha-

bent inclinationem ut moveantur versus Cœlum, sicuti ignis; sed tamen quòd lapides potiùs cadunt in terram, quàm ignis aut materia subtilis; quia cum materia subtilis habeat majorem vim ut recedat à terra, quàm lapides, ipsa materia subtilis facit ut lapides deorsùm ferantur, & ipsi cedant locum.

Notandum est 3. quòd Cartesius qui nullam admittit gravitatem, docet quod levitas quæ reperitur in omnibus corporibus, sive inclinatio quam tribuit omnibus corporibus, ut recedant à terra, consistit in quadam motus circularis proprietate, sive quadam naturæ lege quæ vult, quod partes totius quod motu circulari movetur circa centrũ, conatur semper recedere à centro. Ex hac motus lege conjicit, quod omnia corpora terrestria sunt levia; docet enim quod terra movetur motu circulari à materia cœlesti illam ambiente, omnesque ejus poros pervadente, & inde infert propter præfatam motus legem, quod omnes terræ partes si sibi mutuo non essent valde firmiter alligatæ, hinc inde versus Cœlum dissilirent, cùmque ipsa materia cælestis habeat majorẽ inclinationem, ut recedat à centro terræ, maxima velocitate sursum fertur, & totum spatium occupans, deorsum obvia corpora impellit, & in hoc materiæ cælestis impulsu, vult Cartesius, ut corporum gravitas consistat.

Notandum est 4. Cartesiũ per materiã cælestẽ non intelligere tantùm globulos secundi elementi, sed etiam materiã primi iis admistã, quia *advertendum*, inquit, 4. parte Principiorum num. 25. *materiam primi elementi*, *cæ-*

teris partibus , majorem vim habere ad corpora terrestria deorsum pellenda, quam globulos secundi , quia plus habet agitationis.

Dicendum est contra Cartesium , quòd tota corporis gravitas non consistit in impulsu materiæ subtilis.

Prob. 1. Corpora terrestria non pelluntur deorsùm per impulsum materiæ subtilis ; ergo gravitas corporum non consistit in impulsu materiæ subtilis.Prob.ant. quod est fluxum & debile , non potest corpora terrestria tanta vi ex alto detrudere , ut obvia quæque diruant : atqui materia subtilis est fluxa & debilis ; ergo corpora terrestria non possunt deorsum moveri per impulsum materiæ subtilis. Major est evidens ? Quis enim crederet materiam adeò fluxam & debilem , ut cujusque corporis occursu retrocedat ? Quis inquam , crederet talem materiam posse ingentem detrudere lapidem. Præterea si solus materiæ subtilis impulsus totam corporum gravitatem faceret ; sequeretur quòd magnum pondus supra nostrũ caput sentiremus semper , quia illa materiæ corpuscula capiti nostro imminentia illud premerent, & ad medium impellerent : atqui hoc est absurdum ; ergo & aliud unde sequitur.

Prob. 2. Ideò, secundum Cartesiũm materia subtilis deorsùm impellit alia corpora terrestria, quia illa materia subtilis habet majorem inclinationem ut recedat à terra : atqui falsum est quòd materia subtilis habeat majorem inclinationem , ut recedat à terra ; ergò materia subtilis non deorsùm impellit corpora terrestria. prob. min. materia subtilis non habet majorem motum ; ergò non habet ma-

jorem inclinationem ut recedat à terra. prob. ant. Corpora terrestria tam celeriter moventur quàm ipsa materia subtilis : cum enim (secundum Cartesium) illa corpora terrestria non habeant gravitatem, nihil est quod possit retardare illorum corporum motum; ergo materia subtilis non habet majorem motum.

Obj. Omnia corpora sunt levia; ergo non datur gravitas distincta à corporibus gravibus. prob. ant. omnia corpora sunt levia, si omnia habeant inclinationem, ut recedant à terra: atqui omnia corpora habent inclinationem, ut recedant à terra; ergo omnia corpora sunt levia. prob. min. omnes partes terræ habent inclinationem, ut secundum lineam rectam recedant à centro motûs; ergo omnia corpora terrestria habent inclinationem, ut recedant à terra. prob. ant. partes totius quod movetur motu circulari, habent inclinationem, ut recedant à centro secundum lineam rectam: atqui partes terræ sunt partes totius quod movetur motu circulari [terra enim illo motu movetur] ergo partes terræ habent inclinationem ut recedant à centro. prob. maj. constat experientiâ, quòd quando turbo gyrat, si arena super ipsum conjiciatur, statim cogitur ab illo recedere, atque in omnes partes dispergi. Constat etiam experientiâ, quod quando lapis in funda rotatur per circulum, mox fundæ funes tenduntur, quod denotat lapidem habere inclinationem, ut recedat à centro circuli quem describit; ergo partes totius quod movetur motu circulari, habent inclinationem ut recedant à centro.

Resp. neg. ant. & min. & ad prob. neg. maj.

& min. ejusdem syllogismi. 1. Major propositio est falsa, in qua dicitur, quod partes totius quod movetur motu circulari, habent inclinationem, ut recedant à centro motûs; nec experientiæ à Cartesio allatæ probant aliquid; verum quidem est, quod quando arena in turbinem conjicitur, mox recedit ab illo: sed ille recessus non provenit ex propriâ inclinatione, sed ex impulsu turbinis, quod patet alterâ experientiâ; si enim poneretur lapis supra molam motu lento rotatam, non rejicietur ille lapis, nec à centro motûs recedere conabitur; ergo impulsus & motus velociter impressus efficit, ut lapis recedat à centro, non verò propria inclinatio, & proprius conatus: similiter verũ est, quod quando in fundâ rotatur lapis, mox tenduntur fundæ funes; sed illa tẽsio non provenit ex naturali lapidis inclinatione. Secundo falsa est minor propositio, quia falsum est, quod terra moveatur motu circulari.



ARTICULUS XII.

De gravitate.

CONTRA GASSENDUM.

Notandum est, Gassendum docere, quod semper à terrâ exeunt aliqua hamata corpuscula, quæ cætera alia corpora ad terram trahunt: vult ideo, quod tota corporum gravitas consistat in illis hamatis corpusculis.

Dicendum

Dicendum est contra Gassendum, gravitatem non consistere in hamatis corpusculis, quæ semper exeant à terra, & ad terram trahant omnia alia corpora.

Prob. Posito quod corpuscula semper exirent à terrâ, tamen illa corpuscula non possent ad terram trahere alia corpora; ergo gravitas non consistit in illis corpusculis à terra exeuntibus. probant. Illa hamata corpuscula deberent trahi ab aliquo alio: atqui non potest explicari à quo alio trahantur, & ideo Gassendus dicit, quod ipse non concipit, quomodo illa corpuscula affixa corporibus, possint deorsum movere corpora? ipse non videt, quomodo illud possit fieri, & tamen asserit, quod illud ita fit.

Dicet fortè aliquis in Gassendi gratiam, quod illa corpuscula reflectendo possunt trahere alia corpora ad terram.

Sed illud non potest dici, quia supponitur, quod illa corpuscula reflectuntur, non possunt autem reflecti, quia deberent reflecti propria gravitate: illud autem non potest dici. Quia sic ipsa rediret quæstio, & quæreretur, in quo consisteret illa corpusculorum gravitas: fortè dicent aliqui, quod illa corpuscula occurrentia, v. g. lapidi, reflectuntur propter ipsum lapidem, & redeunt ad locum unde profecta sunt: illud tamen non potest dici: siquidem ut illa corpuscula reflecterentur, deberet esse aliquid in lapide, quod repelleret ipsa corpuscula: atqui juxta mentem Gassendi nihil est in lapide, quod possit repellere illa corpuscula occurrentia lapidi: & licet esset aliquid in lapide, quod posset repellere corpuscula,

Tamen non potest dici, quod illa corpuscula reflecterentur, & redirent versus terram, quia licet rapidissimi fluminis undæ occurrant gravissimo saxo, non redeunt versus originem, sed per latera ipsius saxi effluunt; ergo nec ipsa corpuscula occurrentia lapidi reflecterentur & redirent versus terram. prob. conseq. & paritas. Ideo fluminis undæ occurrentes gravissimo saxo non redeunt versus originem, quia sunt aliæ fluminis undæ post ipsas immediatè fluentes, quæ ipsas impellunt; ergo à pari corpuscula, quæ occurrunt lapidi, non possunt reflecti & redire versus terram, si alia corpuscula immediatè à terra exeant, & sursum impellant prima corpuscula: atqui juxta mentem Gassendi debent esse alia corpuscula immediatè exeuntia à terrâ; ergo si fluminis undæ occurrentes gravissimo saxo non redeant versus originem, propter eamdem rationem corpuscula occurrentia lapidi non possunt reflecti.

Obj. 1. Si mente concipiamus totum spatium à concavo lunæ ad terram vacuum esse & omni corpore destitutum, profecto lapis in hoc spatio quiesceret immotus: atqui ille lapis non quiesceret, nisi quia corpuscula à terra exeuntia non illum determinarent ad motum, quod certè conjicitur, ex eo quod si compleatur illud spatium, mox lapis decideret: ergo corpuscula à terrâ exeuntia determinant lapidem ad motum deorsum.

Resp. neg. maj. Quia ille lapis propria gravitate caderet: siquidem (ut jam probatum fuit) in vacuo divinitus dato potest dari naturaliter motus.

Obj. 2. Corpuscula à terrâ effluentia determinant lapides, ut moveantur versus terram: ergo gravitas consistit in illis corpusculis à terra exeuntibus. prob. ant. si aliò transferretur terra, si v. g. terra poneretur juxta locum ubi nunc est luna, & ibi suspensa remaneret, semper lapides ex alto decidentes, & ab Angelo projecti moverentur in eum locum, in quo esset terra: atqui illi lapides non moverentur ad eum locum, in quo esset terra: nisi quia corpuscula exeuntia à terrâ determinarent lapidem ad talem motum: ergo corpuscula à terrâ exeuntia determinant lapides, ut moveantur versus terram. prob. maj. lapis non moveretur ad eum locum in quo terra erat, sive ad punctum spatii, quod correspondebat puncto sive centro terræ, quia non potest esse propensio realis ad punctum spatii, quod non est reale & physicum; ergo lapis moveretur ad eum locum in quo tunc esset terra.

Resp. 1. neg. ant. & ad probationem, neg. maj. Quia illi lapides moverentur versus centrum mundi, & ibi quiescerent: si enim transirent per centrum mundi, & peterent terram juxta concavum lunæ existentem, illa corpora gravia ascenderent, & sursùm moverentur, quod est contra naturam corporum gravium: sursùm autem moverentur, quia sursùm moveri est recedere à centro mundi, & accedere versus Cœlum: proindè illi lapides deserentes centrum mundi, & accedentes ad terram juxta Lunæ concavum existentem, sursùm moverentur.

Resp. 2. neg. ant. & ad probationem concessâ majori, neg. min. quia posito etiam

quod lapides ex alto decidentes moverentur versus terram, talis motus non proveniret à corpusculis à terrâ exeuntibus, sed ex eo quod lapides semper quærunt terram, & moventur versus illam ubicumque reponatur: neque ex illo motu potest conjici, quod in lapidibus sit aliqua cognitio, per quam dignoscant, terram abesse à loco in quo antea erat, lapides enim non moventur versus terram ex cognitione, & ex determinatione, sed ex quadam naturæ lege, quà res omnes suum centrum quærunt.

Obj. 3. & ultimo. Supponatur primo, quod spatium à terrâ ad concavum Lunæ est plenum, quia non potest dari vacuum naturaliter. Secundo, quod mundus est finitus. Tertio, quod semper à terrâ exeunt aliqua corpuscula: his ita suppositis dico, quod illa corpuscula exeuntia à terrâ replent aërem, & impellunt versus terram cætera corpora: ergo motus qui videtur in corporibus gravibus potest explicari per illa corpuscula.

Resp. Conc. omnes suppositiones, & dico tamen, quod effectus non ita sequeretur, hoc est, illa corpuscula exeuntia à terrâ, & replentia aërem non possent impellere alia corpora, quia cum sint fluxa & debilia, non possunt aliis corporibus motum imprimere.



ARTICULUS XIII.

Utrùm gravitas consistat in sympathia quæ reperitur inter terram & alia corpora sublunaria.

NOtandum est, quòd aliqui Philosophi gravitatis naturam explicantes asserunt, quòd corpora versus terram feruntur per aliquam sympathiam quæ reperitur inter ipsam terram & cætera corpora sublunaria.

Dicendum est, falsam esse opinionem illorum qui dicunt, quòd gravitas consistit in sympathia quæ reperitur inter terram & cætera corpora terrestria.

Prob. talis sympathia quæ est causa gravitatis consisteret in conformitate qualitatum quæ reperiretur in terra & cæteris corporibus terrestribus: atqui talis sympathia non potest cõsistere in tali conformitate: ergo talis conformitas, sive sympathia non potest esse causa gravitatis. Prob. min. sequeretur, quòd major esset sympathia inter lapidem & lapidem, quàm inter corpus terrestre & terram: quia major esset qualitatum conformitas: & consequenter quòd unus lapis gravitaret versus alium lapidem; atqui illud non potest dici, quia non videtur, quòd unus lapis attrahat alium lapidem; ergo non potest etiam dici, quòd talis sympathia consistat in conformitate qualitatum.



ARTICULUS XIV.

Utrùm gravitas consistat in impulsu aëris.

NOtandum est, quòd quidam Philosophi docent, quòd corpora gravitant, quia pelluntur ab aëre, & quòd ille aër impellitur à cœlorum motu.

Dicendum est, falsam esse illorum Philosophorum sententiam, qui dicunt, quòd corpora gravitant, quia aër impulsus à cœlorum motu alia corpora terrestria versus terram impellit.

Prob. absurdum est dicere, quòd papyrus sit adeò gravis, ac ferrum ejusdem latitudinis: atqui ex sententia illorum Philosophorum, Papyrus esset adeò gravis, ac ferrum ejusdem latitudinis; ergo falsa est sententia illorum Philosophorum. Prob. min. Papyrus & ferrum æqualiter impellerentur ab aëre, quia cum esset eadem utriusque corporis latitudo, esset etiam æqualis extensio aëris impellentis utrumque corpus; ergo ex illâ sententiâ sequeretur, quòd papyrus esset adeò gravis ac ferrum ejusdem latitudinis. Præterea motus corporum gravium esset violentus; siquidem ille motus est violentus qui provenit à principio extrinseco, scilicet ab aëre impellente; ergo motus corporum gravium esset violentus.



ARTICULUS XV.

Utrùm gravitas sit qualitas distincta à corpore gravi.

CONTRA PONCIUM & ARRIAGAM.

NOtandum est, quod Poncius & Arriaga cum peripateticis docentes dari accidentia distincta à subjectis, putant ut probabile, gravitatem non esse qualitatem distinctam à corpore gravi.

Dicendum est, contra Arriagam & Poncium, gravitatem esse qualitatem distinctam realiter à corpore gravi.

Prob. 1. Motus deorsum non potest immediaté provenire à formâ substantiali corporis gravis; ergo debet esse aliud principium talis motus: sed illud principium non potest esse nisi aliqua qualitas distincta à corpore gravi: ergo gravitas est qualitas distincta à corpore gravi. Prob. maj. substantia non est immediaté operativa (ut jam probatum fuit:) ergo motus deorsum non potest immediatè provenire à formâ substantiali coporis gravis.

Prob. 2. Illa distinguntur realiter quæ separantur realiter: atqui gravitas separatur realiter à substantia: siquidem in venerabili Eucharistiæ Sacramento remanet gravitas panis, & tamen non remanet substantia pa-

nis ; ergo gravitas distinguitur realiter à substantiâ corporis gravis.

Respondent Poncius & Arriaga, quòd in venerabili Eucharistiæ Sacramento non remanet gravitas, sed tantùm effectus illius, nempe impulsus impressus in corpore, vel motus deorsum qui causatur & suppletur à Deo.

Sed contra: non debent multiplicari miracula sine necessitate: sed ibi multiplicarentur, posito quòd motus deorsum causetur à Deo; quæ multiplicatio non reperitur, si concedatur gravitatem esse accidens distinctum à substantia.

Obj. vel gravitas esset prima qualitas, vel secunda: non potest dici, quod esset prima qualitas (ut patet) neque secunda, quia sic exigeret mixtionem quatuor primarum qualitatum, quæ in elementis non reperitur, & & tamen in quibusdam elementis reperitur gravitas; ergo non est secunda qualitas distincta à corpore gravi.

Resp. Quod gravitas est secunda qualitas, quæ ex primis originem ducit (ut docet Aristoteles 2. de partibus animalium cap. 10.) nec tamen requirit complexionem omnium primarum qualitatum; sed ex solo frigore & siccitate mediante densitate oritur gravitas in terra.



ARTICULUS XVI.

De Levitate,

CONTRA CARTESIUM.

NOtandum eſt, quòd Carteſius docet, quòd corpora ſunt levia, quia habent plures poros, intra quos eſt maxima materiæ ſubtilis copia, quæ cum habeat majorem motum quàm cætera corpora terreſtria, habet etiam majorem inclinationem ut recedat à terra; & ita levitas corporum in hoc conſiſtit, quòd inter ſe habeant materiam ſubtilem quæ ſurſum illa movet corpora.

Dicendum eſt contra Carteſium, levitatem corporum non conſiſtere in materia ſubtili, quæ includatur intra poros corporum, & illa ſurſum impellat.

Prob. ideò levitas ex mente Carteſii provenit à materiâ ſubtili; quia, cum ſit intra poros corporum, facit ut corpora ferantur ſurſum, quia illa materiâ ſubtilis habet maximum motum & maximam inclinationem ut recedat à terrâ: atqui poſito etiam, quòd illa materia ſubtilis haberet maximum illum motum & illam maximam inclinationem, ut recederet à terrâ, non poſſet impellere corpora ſurſum; ergo levitas corporum non conſiſtit in materiâ ſubtili incluſâ intra poros corporum. Prob. min. illa materia

subtilis inclusa intra poros corporum amitteret illum motum & illam inclinationem. Quia, cùm pori non sint recti & vicini, ipsa materia subtilis non posset moveri; ergo licet materia subtilis secundum se habeat maximum motum & maximam inclinationem, ut recedat à terra; non posset tamen corpora sursum impellere. Præterea falsum est, quòd illa materia subtilis habeat majorem motum, quam cætera corpora terrestria. Quia nihil est (ut jam probatum fuit) in corporibus terrestribus quod possit retardare motum.



ARTICULUS XVII.

De levitate,

CONTRA GASSENDUM.

Notandum est, quòd Gassendus docet, quòd illa corpora dicuntur minus gravia, quæ habent minus materiæ, & intra quæ sunt plura vacuola; ideò levitas corporum consistit in illis vacuolis.

Dicendum est contra Gassendum, levitatem corporum nòn consistere in hoc, quòd corpora habeant minus materiæ & plura vacuola.

Prob. ex illa sententia Gassendi sequeretur, quòd in folle pilari Gallicè, *un ballon*, esset minus materiæ, quàm in globulo tormentario ejusdem quantitatis; cum globulus

tormentarius magis gravitet quam follis pilaris: atqui illud non potest dici; ergo nec aliud. Prob. min. si in folle pilari esset minus materiæ, deberent esse plura vacuola quam in ferro; vel si esset idem vacuolorum numerus, illa vacuola in folle deberent esse ampliora: atqui non possunt esse ampliora. Quia partes aëris deberent se tangere, quando follis fortiter comprimeretur; illud tamen non ita contingit; ergo levitas non provenit ex illis vacuolis, quæ etiam non dantur (ut jam probatum fuit.) Dicendum ergo cum peripateticis, quòd levitas est aliqua qualitas distincta realiter à corpore levi.



ARTICULUS XVIII.

Utrùm aër sit gravis vel levis.

Dicendum est aërem esse corpus leve.

Prob. 1. Illud corpus dicitur leve quod supra cætera corpora assurgit: siquidem levitatem cognoscimus ex motu sursum: atqui aër supra cætera corpora assurgit, nempè supra aquam & terram; ergo aër est corpus leve. Non quidem assurgit supra ignem, quia non est tam levis quàm ignis, summa enim levitas convenit igni, & levitas in gradu excellenti convenit aëri, & proinde si aër comparetur cum igne, dicitur gravis: ideo docet Arist. lib. 4. cap. 4. tex. 27. quod licèt aër & aqua non possint dici absolutè gravia,

vel levia, *Quia ad terram & ignem comparata, illis sunt leviora, vel graviora, tamen si ad se ipsa conferantur, aliud* (inquit) *simpliciter est grave, aliud leve*; Quibus verbis manifestè significat nihil gravitatis inesse aëri.

Prob. 2. Si aër gravis esset ut volunt recentiores, & si sua gravitate terram premeret, suo etiam pondere exhalationes à terra exeuntes ad terram iterum pelleret, & in causa esset cur ad mediam aëris regionem non possent pervenire, suo etiam pondere plantas tenellulas & recenter natas opprimeret & & quasi suffocaret: atqui illa duo non ita contingunt 1. exhalationes à terra exeuntes liberrimum in aëre transitum inveniunt, cum sæpè ad mediam usque aëris regionem perveniant 2. plantæ recenter natæ nullam in aëre risistentiam experiuntur, cùm sua tenellula folia undequàque explicent; ergo, &c.

Prob. 3. In hypothesi gravitatem aëris admittente, columna aëris major deberet magis ponderare quam columna aëris minor: atqui experientiâ potest probari, quòd in eadem hypothesi columna aëris major non magis ponderat quam columna aëris minor, imo columna aëris minor magis ponderat quam major; ergo, &c. Prob. min. sumatur tubus vitreus octodecim digitorum longitudinem non excedens, cujus una pars hermeticè sit occlusa, altera verò aperta. Ad altitudinem quindecim tantùm digitorum mercurio adimpleatur tubus, ita ut in tubo supersint tres digiti mercurio vacui & tantùm aëre communi pleni. Deindè pars tubi aperta digito occludatur, ipseque tubus ferè horizontaliter

taliter ponetur, ut aër possit facilè ad partem tubi superiorem & hermeticè occlusam transire. Hic postea tubus mergatur intra mercurium in vase contentum. His ità peractis constat quòd columna aëris prementis mercurium in vase contentum, major est quàm columna aëris intra tubum inclusi, & tamen illa minor columna aëris intra tubum inclusi magis ponderat quàm columna major aëris externi & mercurium in vase contentum prementis; ergo in hypothesi aëris gravitatem admittente, columna minor magis ponderaret quàm columna major. probat. ant. illa columna magis ponderat quæ fortiùs & efficaciùs agit in Mercurium intra tubum inclusum: atqui columna aëris intra tubum inclusi fortiùs & efficaciùs agit in mercurium in tubo contentum, quàm columna aëris externi; ergo columna aëris minor magis ponderat, quàm columna aëris major. prob. minor, columna aëris intra tubum inclusi omninò mercurium in tubo contentum deprimit, cùm ipsum in tubo suspensum non possit retinere columna aëris externi major, siquidem constat experientia, quòd ubi aufertur digitus inferiorem tubi partem occludens, mox ferè totus mercurius in tubo inclusus descendit, totusque commiscetur cum mercurio in vase contento; ergo columna aëris minor fortiùs agit in mercurium quàm columna aëris major.

Respondent nonnulli quod ille mercurii descensus provenit ex aëre intra tubum incluso, qui dum per aliquam vim elasticam dilatatur, impellit & deprimit ipsum mercurium,

Aër inclusus, inquit D. Pecquet in dissertatione anatomica, *magis suâ vi elasticâ quàm suo pondere premit*, & pergens ait, *aër eodem modo premit terram quo in illa experientia premit mercurium*. idem respondet Roaltus 1. parte physi. cap. 12. art. 33. & 34.

Sed contrà : aër in tubo inclusus per suam vim elasticam non dilatatur ; ergo à recentioribus potest tantum dici, quod aër inclusus suâ solâ gravitate mercurium premit, & proinde debent concedere, quòd columna aëris minor magis ponderat quàm columna aëris major. prob. ant. vel aër dilataretur, quia intra tubum compressus conatur se in pristinum statum reducere, ut docet Roaltus loco jam citato, vel dilataretur propriâ virtute, ita ut aër non condensatus eodem modo premat terram quo in illo casu premit mercurium, ut docet Pecquet : atqui neutrum dici potest ; ergo nullum. probatur min. quoad omnes partes.

1. Contra Roaltum ; aër intra tubum inclusus non est compressus ; ergo propter compressionem non dilatatur. prob. ant ille aër non est compressus qui idem occupat spatium ac antea : atqui ille aër in tubo inclusus idem occupat spatium ac antea occupabat ; siquidem priusquam intra tubum includeretur, trium tantum digitorum spatium occupabat, & in experientia jam allatâ supponitur quòd aër inclusus trium tantùm digitorum spatium occupat ; ergo aër intra tubum inclusus non est compressus.

2. Contra D. Pequet aër ex seipso propriâ virtute non dilatatur ; ergo potest tantùm dici

à recentioribus quòd aër inclusus suâ solâ gravitate premit mercurium, & proinde debent concedere quòd in illo casu columna aëris minor magis ponderaret quàm columna aëris major. prob. ant. si aër inclusus propriâ virtute dilataretur & suam vim elasticam exerceret supra mercurium; eodem modo aër premeret terram per suam vim elasticam, ut fatetur ipse D. Pecquet: atqui falsum est quod aër per suam vim elasticam terram premat; ergo &c. prob. min. Si aër suâ virtute elasticâ premeret terram, premeret & ipsum mercurium in vase contentum; & per suam gravitatem & per suam vim elasticam, & proinde deberet mercurium intra tubum suspensum retinere, quia illa columna aëris major deberet fortiùs agere in mercurium quàm columna aëris inclusi; cùm ob suam majorem molem & altitudinem habeat majorem gravitatem & majorem vim elasticam; ergo aër propriâ virtute non dilatatur.

Præterea si eadem experientia fiat in tubo cujus utraque pars sit aperta & occlusa duobus digitis, quando ex inferiori parte tollitur digitus; tunc mercurio descendente digitus superiorem tubi partem occludens intra ipsum tubum fortiter attrahitur: atqui si aër per per suam vim elasticam dilataretur, digitus intra tubum non attraheretur, quia aër qui undequaque æqualiter dilataretur, digitum sursum impelleret, sicuti mercurium deorsum deprimit; ergo aër intra tubum occlusus per suam vim elasticam non dilatatur.

Obj. 1. Sumatur tubus viginti & octo digitorum longitudinem habens, cujus utraque

pars sit aperta, mercurio impleatur, utramque tubi partem occludant duo digiti, immergatur intra vas mercurio plenum, sicut fit in aliis experientiis, ubi tollitur digitus inferiorem tubi partem occludens, descendente mercurio digitus superiorem tubi partem occludens gravissimum sentit dolorem: atqui ille dolor provenit ex gravitate aëris incumbentis & prementis digitum qui ab alio inferiori corpore non sustinetur; ergo &c. hanc experientiam refert D. Pascal tractatu de gravitate aëris cap. 6. pag. 106.

Resp. 1. Neg. min. & affero alteram experientiam. Si sumatur tubus viginti tantùm digitorum, cujus utraque pars sit aperta. Si tubus mercurio impleatur & subtrahatur inferior digitus, mercurius nullomodo descendit, quia tota aëris gravitantis moles potest totum hunc mercurium in tubo suspensum retinere. Refertur & conceditur à D. Pachal hæc experientia p. 91. 92. & à D. Roalto 1. parte Physicæ cap. 12. art. 17. ex hac ergò experientiâ conjicio dolorem digiti non provenire ex gravitate aëris, sicuti asserit D. Paschal. Si enim in prima experientia digitus dolorem sentiret, quia premitur ab externo aere & à nullo alio inferiori corpore sustinetur, in secunda experientia digitus nullum deberet experiri dolorem, quia tunc sustinetur à mercurio qui nullomodo descendit: atqui constat quod in secunda experientia digitus dolorem sentit; ergo in altera experientia dolor ille non provenit ex gravitate aeris.

Resp. 2. dolorem illum provenire ex gravitate mercurij qui contiguus est cum digito

qui superiorem tubi partem occludit, quique semper talem contiguitatem affectans suspensum retinet mercurium. Quod autem dolor ille ex mercurii gravitate causetur, patet ex eo quod dolor sentitur major, ubi major est mercurii gravitas, in prima enim experientia in qua sunt viginti & octo mercurii digiti, major sentitur dolor quàm in secunda, in qua sunt tantum viginti mercurij digiti. Præterea si ex inferiori tubi parte, digito sursum pellatur, & aliquandiu eodem digito tota mercurij gravitas sustineatur, experientiâ comprobabitur quod digitus superiorem tubi partem occludens dolorem non experietur.

Obj. 2. Una pars aëris gravitat supra aliam partem aëris, & comprimit illam: ergo gravitas convenit toti aëri. prob. ant. experientiâ constat quòd aër magis ponderat in montium radicibus quàm in eorum jugis: atqui aër non minùs ponderat in montium jugis, nisi quia tunc aër minùs à minori incumbentis aëris mole comprimitur: siquidem ille aër existens ad radicem montis à maximâ incumbentis aëris copiâ comprimitur, & ita magis gravitat: sed idem aër in montis verticem translatus sese in amplius spatium explicat, & à minori comprimentis aëris mole impellitur; ita ut idem contingat in aëre, quod contingit in ingenti lanæ acervo, siquidem partes magis infimæ magis comprimuntur, sed ubi illæ partes transferuntur & fiunt superiores, minùs pressæ sese explicant, & majus spatium occupant.

Illud etiam constat experientiâ quæ refertur à D. Paschal. Tract. de gravitate aëris

cap. 1. Folliculus, inquit, aëre semiplenus, & flaccidus in montem quingentas exapedas altum translatus paulatim intumuit, donec in ipso vertice omnino distentus appareret. Sic inter descendendum paulatim detumuit, donec in ima montis parte pristino statui esset restitutus: quod aëris ferè, ut lanæ sint plicatiles particulæ, & pressu faciles: sed tamen non pressæ se'e restituunt.

Resp. 1. neg. ant. Quia posito etiam quòd gravitas conveniret aëri, una pars aëris non gravitaret supra aliam; quia elementa non gravitant neque levitant in centro, ut probabitur.

Resp. 2. neg. ant. & ad prob. neg. min. Quia illa experientia nullo modo probat gravitatem convenire aëri ab intrinseco, sed tantùm ab extrinseco: ideò enim magis ponderat ad radicem montis, quia ibi impurior est, & habet plurima admixta corpuscula terrestria; & ideò minùs gravitat ad cacumen montis, quia cùm sese extricaverit ab illis corpusculis terrestribus, ibi purior existit.

Resp. 3. Quod omnes illi effectus folliculi modo tumescentis, modo detumescentis non proveniunt ex gravitate aëris. Quæ ergo experientia ut clarè explicetur, advertendum est, quòd aër in montium radicibus existens crassus est, & densus, ob plurimas exhalationes intermixtas; aër verò in montium jugis existens, subtilior est, quia ab his terrestribus exhalationibns est solutus. aër ergo quo Folliculus est semiplenus, densus est; cumque ad montis cacumen defertur ipse Folliculus, successivè circumscribitur aër ille densus ab alio

aëre subtiliori, qui aer subtilior agit in aerem densum ipsumque attenuat, & subtilem reddit, & proinde facit, ut magis dilatetur, & majorem locum occupet. tumescit ergo Folliculus propter illam subtilioris aeris actionem, non verò propter ipsius aeris gravitatem. similiter inter descendendum paulatim detumescit folliculus; quia aer densus circa terram existens agit in aerem in folliculo inclusum, ipsum comprimit, ipsumque iterum densum reddit.

Obj. 3. Folliculus magis ponderat, dum est inflatus, quàm dum non inflatus: atqui illud majus folliculi pondus non potest provenire nisi à gravitate aeris introducti intra folliculum; ergò aer habet gravitatem.

Resp. dist. min. Illud majus folliculi pondus non potest provenire, nisi à gravitate accidentali aeris, con. à gravitate essentiali, neg. quia aer secundum se spectatus est semper levis, tamen per accidens habet aliquam gravitatem; siquidem aer habet in se admixta corpuscula terrestria quæ faciunt ut aer graviter, & ita dicendum, quòd aer non gravitat ratione propriæ gravitatis, sed ratione gravitatis illorum corpusculorum terrestrium.

Obj. 4. Aer ad secretiora terræ antra, & ad omnes subterraneas Cavitates descendit, imo ad ipsius terræ centrum usque descenderet, si sufficiens ipsi pateret aditus: atqui ad illa omnia loca non potest aer descendere nisi propriâ gravitate; ergò aer habet gravitatem.

Resp. neg. min. Quia aer ad secretiores antrorum recessus descendit, vel quia huc im-

pellitur, vel quia attrahitur. 1. Aer interdum impellitur in Cavitatem aliquam recenter factam subtus terram; dum enim ad efformandam illam cavitatem magna terræ quantitas extrahitur, ab ipsa terræ extractæ quantitate aer comprimitur, & deorsum impellitur, ut occupet locum ab ipso ingentissimo terræ extractæ acervo derelictum. 2. Interdum attrahitur, quia ubi aer in antris inclusus à summa antrorum frigiditate condensatur, alium attrahit aerem qui occupet locum ab ipso aere condensato derelictum.

Obj. 5. Si occluso syringis foramine embolus, seu baculus teres, & cylindricus *v. le piston*, vi satis magna attollatur, embolus adductus ab incumbẽte aere impellitur etiam syringe inversa; non enim minus aer subjectus à circumfuso aere pressus sursum trudit embolum, quàm incumbens aer eundem embolum deorsum impellebat; ergò constat illa experientia aerem habere gravitatem. hanc experientiam refert auctor Philosophiæ veteris & novæ.

Resp. 1. Quòd vera illius experientiæ causa à recentioribus non assignatur; aiunt enim quod cum mundus sit plenus, aër quem adductus siryngis embolus pellit, nullum possit invenire locum quem occupet, magnâ vi magnoque impetu repellit embolum qui locum sibi debitum occupabat, & ita vehemens ille emboli motus provenit ex aëris compressi gravitate. Sed illa recentiorum interpretatio quantum ad duo videtur deficere; ille enim emboli motus non potest causari neque à gravitate neque à compressione

aëris. 1. Non potest causari à gravitate aëris, cum nulla aëri insit gravitas ut jam probatum fuit & ut fusè in subsequentibus articulis rursus probabitur. 2. Non potest causari à compressione aëris propter triplicem rationem.

1. Quia incredibile est quod tam exigua aëris compressio possit tanta vi tantoque impetu embolum repellere.

2. Constat experientiâ quotidianâ quod aër comprimitur & dilatatur modis propemodum infinitis, nec tamen ex illa majori & sensibili aëris compressione tam vehemens & violentus producitur effectus.

3. Si ille motus emboli causeretur ab aëris compressione, illa etiam difficultas quam experitur, qui vult embolum attollere, proveniret ex ipso aëre qui vix talem compressionem patitur; atqui illa difficultas non provenit ex ipso aëre; ergo ille emboli motus non causatur ab aëris compressione prob. min. si illa difficultas & resistentia quàm experitur qui vult embolum attollere, proveniret ex ipso aëre, sequeretur, quod si contingeret embolum jam ad trium digitorum spatium adductum non posse magis attolli, illud certè juxta recetiorum sententiam proveniret ex eo quod aër adeò ab embolo jam adducto est compressus, ut non possit magis comprimi: atqui falsum est quod aër sit ita compressus, ut non possit magis comprimi, si enim poneretur aliquod impedimentum ne ipse embolus ad pristinum locum rediret ita ut per aliquod temporis spatium in eodem statu suspensus existeret, hoc est ad eandem

distantiam adductus remaneret, quandiu in illo statu esset embolus, tandiu remaneret eadem aëris compressio, quæ si tanta esset, ut non posset fieri major, embolus alterius syringis non posset etiam ad tres usque digitos attolli, quod tamen est contra experientiam; ergo, &c.

Resp. 2. Quod ille emboli motus non provenit ex aëris externi impulsu, sed ex interni aëris attractione, quia scilicet extrema emboli pars non ita est contigua cum syringe, ut aliquid aëris non mediet: quando ergo embolus attollitur, ipsa exigua aëris quantitatis attenuatur maxime & dilatatur, ut possit locum ab embolo derelictum occupare, cumque tanta dilatatio sit aëri violenta, ubi embolus sibi relinquitur, mox aër qui se in pristinum locum restituere conatur, attrahit ipsum embolum.

Inst. non datur ille motus attractionis; ergo embolus non attrahitur ab ipso aëre interno. Prob. ant. 1. Ille motus attractionis ita obscurus est, ut nullomodo possit concipi. 2. Est inutilis, cum omnis motus per solum impulsum fiat. Hæc Roaltus prima parte Phys. cap. 11. art. 14. 15. ergo; &c.

Resp. neg. utrumque ant. quia ille attractionis motus est clarus & necessarius. 1. Clarus est, quia æquè facile concipitur motus attractionis quam motus qui fit per impulsum, nec certè videtur ubinam sit ipsa obscuritas quam sibi fingit Roaltus. 2. Necessarius est, & ipsius motus necessitatẽ probat natura provida quæ omnibus dedit animalibus attractionis motũ quo attraherent aërem ad vitæ conserva-

tionem necessarium per *Diastoles* attractionem, dedit & alterum motum quo aërem repellerent per *Systoles* impulsionem.



ARTICULUS XIX.

De suspensione mercurij.

NOtandum est, quod recentiores aëris gravitatem probaturi utuntur aliquo tubo vitreo, torricelli quem barometrum vocant quod aëris pondus metiatur, in quo tubo mercurius suspensus manet. Sic ergo illam conficiunt experientiam, tubum vitreum tres pedes aut circiter longum, & ex parte altera occlusum implent hydrargyro: tum in vas subjectum in quo etiam stagnat hydrargyrus, tubum invertunt, quibus ita factis argentum vivum in tubo suspensum manet usque ad viginti septem & amplius digitorum altitudinem. Volunt autem quod illa mercurij suspensio proveniat à gravitate aëris; ita ut tota aëris columna à concavâ superficie supremæ regionis aëris ad terram usque protensa premat mercurium in vase contentum & intra tubum ascendere cogit, donec columna hydrargyri in tubo contenti sit in æquilibrio cum columna aëris incumbentis externo hydrargyro.

Dicendum est, suspensionem mercurij non provenire à gravitate aëris.

Prob. 1. Columna aëris incumbentis non

potest esse in æquilibrio cum columna mercurij in tubo contenti; ergo illa mercurij suspensio non provenit à gravitate aëris. Prob. ant. columnam aëris esse in æquilibrio cum hydrargyro in tubo contento, est aërem æquis viribus & pari virtute agere in hydrargyrum & hydrargyrum agere in aërem: atqui hydrargyrus non agit in aërem; ergo columna aëris non est in æquilibrio cum hydrargyro in tubo contento. Prob. min. hydrargyrus non gravitat contra aërem; ergo non agit in aëre prob. ant. si hydragyrus gravitaret contra aërem, gravitaret etiam contra aliud quodcumque corpus: atqui falsum est quòd hydragyrus gravitet contra aliud quodcumque corpus; si enim digitus intra mercurium in vase contentum immittatur, & si ipso digito occludatur infima tubi pars, & ipse tubus extra vas emittatur, quandiu perpendiculariter erit positus, digitus nullum mercurij pondus sentiet. Hæc experientia ab ipso Roalto ut vera cõceditur, prima parte Phys. cap. 12. art. 31. ergo hydrargyrus non gravitat contra aërem.

Prob. 2. Si pondus aëris in tubo suspenderet hydrargyrum, quo gravior esset aër, eo altius attolleretur hydrargyrus: atqui falsum est quod altius attollatur hydrargyrus, quo gravior est; ergo pondus aëris in tubo non suspendit hydrargyrum prob. min. aëre sereno altius ascendit hydrargyrus, quàm nimboso aut pluvio cœlo; ergo cum aër sit gravior nimboso aut pluvio aëre, quam sereno cœlo, non plus attollitur hydrargyrus, quo gravior est aër, & proindè suspensio

pensio mercurij non provenit à gravitate aeris.

Respondent recentiores nonnulli pluvio tempore magnam vaporum copiam ascendere, qui cum leviores sint aëre, eumque alio protrudant: (nam duo corpora simul esse non possunt) necesse est amosphæram leviorem existere, quam si ij non adessent vapores.

Sed hæc responsio in multis videtur deficere. 1. Falsum est quòd illi vapores sint leviores aere qui nullam habet gravitatem, ut jam probatum fuit. 2. Etiam si illi vapores leviores essent non possent aerem alio protrudere, nam corpus levius non potest agere in gravius, quin imo corpus gravius suo pondere deprimit levius; ergo vapores aere leviores aërem non possunt alio protrudere, sed aer suo pondere vapores ipsos versus terram impelleret.

Præterea non potest negari quod pluvia actu cadens in terram, non premat aerem versus terræ superficiem, & proindè aer à pluvia compressus magis gravitat supra mercurium in vase contentum, & ita tunc mercurius in tubo existens deberet altiùs ascendere; oppositum tamen contingit, ut fatentur adversarii; ergò illa mercurii suspensio non provenit à gravitate aeris.

Prob. 3. in vase occluso, ubi nulla est penè aeris columna, aut in cubiculo undique clauso ad eandem altitudinem ascendit Hydrargyrus; ergò signum est quòd illa mercurij suspensio non provenit à gravitate aeris.

Obj. 1. Cùm experimentum in locis altio-

ribus perficitur, tum Hydrargyrus minùs ascendit: adeò ut in loco decem exapedis altiore, una linea, seu duodecima digiti parte minuatur. Sic in locis subterraneis altiùs attollitur hydrargyrus; ergo signum est quod suspensio hydrargyri provenit à gravitate aeris.

Resp. neg. conf. quia aer inclusus in tubo nō agit in mercurium nisi per suam subtilitatē & extensionem & proindè quo magis est extensus & subtilis, fortiùs agit in mercurium, sed aer ille magis extensus & subtilis fit, quando barometrum ad altiora montium cacumina transfertur; ergo tunc fortiùs agit in mercurium, ipsumque magis deprimit.

Inst. Quando tubus mercurio plenus intra aquam immittitur, eò altius mercurius ascendit, quò major est aquæ quantitas; ergò quo major est aeris moles, magis mercurius ascendit, & proinde illa major, vel minor aeris suspensio provenit à majori vel minori aeris gravitate. Hac paritate utitur D. Pascal tractatu de gravitate aeris cap. 2.

Resp. neg. cō. & par. quia maxima est disparitas inter aquam & aerem. 1. Licet ambo sint corpora liquida, non tamen eodem modo liquiditatem participant, quia ut constat, aqua densior est aere. 2. Aqua gravis est, ut fatemur, non verò aer, ut jam probatum fuit. 3. Si esset paritas inter aerem & aquam, ut volunt adversarii, eodem modo deberet aqua in quemlibet mercurium agere, quo aer, & ita sicuti aeris gravitate magis attollitur mercurius suis partibus subtilioribus spoliatus, quam mercurius communis, ut fatentur ipsi adversarii, deberet ergo & ipse mercurius

partibus subtilioribus exutus, magis attolli per aquæ gravitatem, quam mercurius communis, quod tamen est contra experientiam, ut ipsi etiam cōcedunt recentiores; ergò nulla est paritas inter aerem & aquam.

Obj. 2. Nulla est alia causa à qua possit provenire suspensio mercurii; ergò debet provenire à gravitate aeris.

Resp. neg. ant. quia illa suspensio provenit à vi contiguitatis quæ necessariò debet reperiri inter omnia corpora, & ita ab illa substantia subtiliori quæ superiorem tubi partem replet, suspenditur mercurius.



ARTICULUS XX.

Qua virtute aquæ ascendat intra Antlias aspirantes.

NOtandum est, quod secundum recentiores, aqua intra antlias aspirantes ascendit, eòquidem altius, quò major vis adhibetur: nunquam tamen ultra triginta duos pedes attollitur. Volunt autem recentiores, quod vis quæ aquam premendo sursum tollit, non alia est quam pondus columnæ aeris, quæ antliæ ipsi latitudine æqualis est. Cum autem pondus aeris finitum sit, eòusque aquam intra antliam evehit, quòusque quoddam fiat æquilibrium aquæ sublatæ, & columnæ aeris incumbentis.

Dicendum est, aquam non ascendere intra

antlias propter gravitatem aeris.

Prob. Si ascensus aquæ intra antlias causaretur à gravitate aeris, semper quælibet aqua eodem modo pressa ad eandem altitudinem deberet ascendere: atqui experientia constat, quod quælibet aqua ad eandem altitudinem non ascendit, si enim aqua suis partibus subtilioribus sit expurgata altius evehitur, quàm aqua communis; sicut mercurius suis etiam partibus subtilioribus expurgatus altius ascẽdit, quam communis, quæ experientiæ à recentioribus conceduntur. Cum ergò recentiores non possint asserere, quod aeris gravitas ad tantam altitudinem evehat aquam suis partibus subtilioribus expurgatã, quia secundum ipsos aer habet tantùm vim ad impellendam aquam ad altitudinem triginta duorum pedũ. Non possunt etiam consequẽter asserere, quòd aer pondere suo attollat aquam ad altitudinẽ triginta duorum pedum, quia eadem virtus quæ pellit aquam suis partibus subtilioribus expurgatam, ad quadraginta, vel quinquaginta pedes, debet illam evehere ad triginta & duos pedes; siquidem quod potest magis, potest minus: ergò aquæ ascensus intra antlias non causatur à gravitate aeris.

Obj. 1. Nulla alia potest assignari causa talis ascensũs aquæ præter gravitatem aeris; ergò &c. prob. ant. 1. Non potest provenire ab horrore vacui, metus enim & horror, qui sunt proprii animantium affectus, non possunt tribui rebus sensu carentibus, neque ab ulla alia causa procedere; ergò nulla alia potest assignari causa talis ascensus aquæ præter gravitatem aeris.

Resp. 1. Quod nonnulli dicunt talem aquæ ascensum provenire ab horrore vacui, nec ille antiquus loquendi modus dignus est, qui tam acriter à recentioribus Philosophis redarguatur: quis enim nescit Metaphoricam expressionem, neque nomine *metus horrorisque vacui* aliud significari, quam conatum rebus insitum, quo feruntur in loco vacantia, ut unionem & colligationem inter se semper servent.

Resp. 2. Quod alii, ne illo nomine metus & horroris vacui utantur, dicunt quod ille ascensus aquæ provenit ex vi contiguitatis corporum quam semper natura affectat; & ideo ne talis contiguitas tollatur, evehitur aqua intra antlias; quod ut clarè explicent, dicunt, quod ubi attollitur embolus, duo diversi producuntur effectus intra tubum antliæ. 1. Aer qui est supra embolum comprimitur, & aer qui est infra embolum, attenuatur & maximè dilatatur ad replendum spatium ab embolo derelictum; cumque ille aer maximè dilatatus & extensus sit quasi in statu violento ob suam maximam extensionem, per vim suæ contiguitatis attrahit aquam, ut aer & aqua simul occupent spatium, quod solus aer per violentam dilatationem cogebatur replere.

Obj. 2. Non potest reddi ratio, cur aqua ad talem & talem altitudinem ascendat, nisi per gravitatem aeris; ideo enim ascendit aqua ad determinatam altitudinem, quia columna aeris aquæ æquiponderat, & facit cum ipsa æquilibrium: ergò aqua ascendit intra antlias propter gravitatem aeris incumbentis.

Resp. 1. Quod aliqui afferunt falsum esse aquam ascendere ad determinatam altitudinem; aqua enim, ut ipsi experti sunt, in plurimis antliis ascendit ad quadraginta pedes, imo & ad sexaginta exapedas.

Resp. 2. Quod alii dicunt aquam ascendere ad hanc determinatam altitudinem, propter determinationẽ quam recepit à Deo; Deus enim, ut aiunt, cuilibet elemento præfixit suum terminum ultra quem non progreditur.

Resp. 3. Aquam ad hanc determinatam altitudinem ascendere, ob exigentiam naturæ corporum contiguitatem semper affectantis: aqua enim non ascendit nisi ad servandam corporum contiguitatem: ergo eâdem naturæ lege debet sistere & quiescere, quando sine illo ascensu potest servari talis corporum contiguitas; sed cum aqua pervenit ad triginta duorum pedum altitudinẽ potest servari talis contiguitas, quia aqua ex illo spatio potest sufficientem partium subtiliorum copiam emittere ad reliquum spatium replendum: & inde potest optimè reddi ratio, cur aqua suis partibus subtilioribus expurgata ad majorem altitudinem ascendat, quam aqua communis, quia scilicet aqua expurgata non tot in se cõtinet partes volatiles & subtiliores quas possit emittere ad replendum spatium, & ideò lex naturæ contiguitatem corporum semper affectantis exigit, ut illa aqua expurgata altius ascendat, quàm aqua communis.

Resp. 4. Præcisè contra recentiores, & dico quòd ille aquæ ascensus non potest provenire ab aeris gravitate, quia inde sequeretur

quod vel aqua expurgata, & communis deberent æqualiter ascendere, ut dictum fuit in probatione conclusionis. Vel deberet evenire aliquid oppositum experientiæ quæ ab ipsis recentioribus refertur & conceditur; dicunt enim quod aqua expurgata altius ascendit: atqui si vera esset sententia recentiorum non deberet altius ascendere, quia suis partibus subtilioribus expurgata grauior superest, quam aqua communis, ut patet, & proinde magis resisteret aeris ponderi: ergo falsum est quod illæ aquæ ascensus proveniat à gravitate aeris.



ARTICULUS XXI.

Unde proveniat difficilis duorum marmorum separatio.

NOtandum est 1. quod si duo marmora superficiebus accuratè politis, ita ut ex mutua eorumdem applicatione immediatus fiat contactus, congruè sibi invicem applicentur, tam firmiter simul cohærent, ut qui superiùs sustulerit, & in aere libero elevatnm tenuerit, inferiùs etiam elevare unà cum superiori atque elevatum tenere necesse habeat. Hanc experientiam refert Dom. Boyle experimento. 3. Hanc etiam referunt omnes recentiores Philosophi.

Notandum est 2. quòd secundum omnes recentiores, illa difficilis corporum separatio

provenit ex aeris gravitate; dicunt enim quod ubi marmor superiùs elevatur, simul & elevatur inferiùs, quia marmor inferiùs à subjecto aere tantùm premitur, quantùm marmor superius ab incumbentis aeris columna. Non enim minor est vis in subjecto aere, ut sursùm pellat, quàm in columna aeris incumbentis, ut deorsum trudat.

Dicendum est difficilem corporum separationem non provenire à gravitate aeris.

Prob. difficilis corporum separatio manet, ubi nullum est aeris pondus; ergo hæc difficilis corpotum separatio non provenit à gravitate aeris. prob. ant. Duo marmora tersa & lævigata in machina pneumatica suspensa, exhausto omni aere crassiori, nullatenùs possunt divelli: ergo hæc difficilis corporum separatio manet, ubi nullum ferè est aeris pondus.

Respondent nonnulli recentiores, quod aer subtilis qui remanet in machina Pneumatica per suam vim elasticam ipsa corpora premit, & ipsorum corporum separationem impedit.

Sed contra: Aer ille in machina pneumatica remanens, est maximè subtilis, maximè attenuatus & extensus, ita ut sit in statu violento, cùm ex se tantam attenuationem non postulet: ergo tunc aer hæc duo corpora per suam vim elasticam non premit. prob. consi de ratione aeris subtilis, attenuati & violenter extensi est potiùs attrahere corpora quàm premere, ita ut in illa experientia aer marmori inferiori subjectus deberet ipsum trahere & à superiori marmore separare, ille aer subtilis in machina pneumatica remanens per suam

vim elasticam non premit illa corpora. prob. ant. si experientia mercurij fiat in tubo cujus utraque pars sit aperta & duobus digitis occlusa, quando inferior digitus subtrahitur & mercurius descendit, superior digitus maximâ vi intra tubum attrahitur à substantia quæ superiorem tubi partem occupat, & quæ cùm sit maximè subtilis & extensa attrahit ad se digitum, ergo de ratione aeris maximè subtilis & attenuati est potius attrahere corpora quàm premere.

Obj. nulla alia potest assignari causa hujus difficilis separationis, ergo debet provenire à gravitate aeris.

Resp. neg. ant. & dico quod propter necessariam corporum contiguitatem, quæ semper in natura debet persistere, illa duo corpora lęvigata, nec in aere, nec in machina pneumatica possunt separari: si enim separarentur illa duo corpora, ut in illa separatione servaretur corporum contiguitas, deberet aer circumfusus totum in instanti occupare locum ab his duobus corporibus derelictum; ergo cùm aer in instanti non possit moveri, debent illa duo corpora non separari, nè tollatur corporum contiguitas. Eodem ferè modo videtur explicare hanc experientiam author Philosophiæ veteris & novæ: ubi enim inquirit, cur duo corpora lævigata in machina pneumatica non possunt divelli, docet tractatu 2. phys. gen. dissertatione 2. cap. ultimo. *Quod duo marmora in vacuo interdum sibi pertinaciter adhærescunt: quod subtilis aër qui vitrum penetrat; inter duo marmora summè lævigata aditum non habeat.*



ARTICULUS XXII.

De experientia quæ fit in follibus occlusis.

NOtandum est quòd folles occlusis omnibus foraminibus diduci non possunt: dicunt autem recentiores quod illa difficultas provenit ex gravitate aeris; follium enim dilatationi moles circumfusi aeris obstat, quæ vinci non potest nisi vis ingens adhibeatur.

Dicendum est hanc difficultatem quam patiuntur qui folles occlusos volunt diducere, non provenire ex gravitate aeris.

Prob. triplici ratione. 1. Si illud proveniret ex gravitate aeris, nusquam folles, apertis etiam foraminibus, diduci possent, quia semper premerentur à gravitate aeris: atqui falsum est quòd folles, apertis foraminibus diduci non possint; ergò falsum est, quòd illa difficultas proveniat à gravitate aeris.

2. Ubi aer non premeret follium tabulas deberent facilè diduci, quod tamen non ita contingit: nam si follium tabulæ non essent in Horisontali plano, sed ad ipsum essent perpendiculares, tunc non gravitaret aer desuper, & tamen semper esset eadem difficultas; ergò illud non provenit à gravitate aeris.

3. Posito etiam quòd aer gravitaret, illa difficultas non proveniret ex ipsius aeris gravitate, quæ posset facilè vinci, cùm aer (ut constat plurimis experientiis) cuilibet corpori

facilè cedat, & à quolibet corpore facilè comprimatur.

Obj. 1. quando folles intra aquam immerguntur, ita ut tubus viginti pedum longitudinem habens, extra aquam promineat, tunc non erit vacui metus, cùm aeri pateat aditus, & tamen si profundior fuerit aqua, diduci non possunt propter aquæ incumbentis pondus; ergo à pari folles in aere diduci non possunt propter ipsius aëris gravitatem, quia eodem modo ratiocinandum est de aëre ac de aqua. Hanc experientiam & paritatem affert D. Paschal tractatu de gravitate aëris cap. 2. sect. 2.

Res. 1. neg. cons. & par. quia ut jam dictum fuit, nulla est paritas inter aquam & aërem; siquidem aqua gravis est, & ita mirum non est, quòd folles diduci non possint propter aquæ gravitatem; aër verò non est gravis, ut jam rationibus plurimis & experientiis probatum est.

Resp. 2. quòd si paritas valeret, posset ergo dici, quod sicut in prima experientia fatentur adversarii, quod folles facilè poterunt diduci, si profundior non fuerit aqua, quia vir robustus poterit vincere gravitatem aquæ; poterunt etiam folles facilè diduci, quia illa aëris resistētia poterit vinci ab aliquo fortissimo viro, siquidem illa aquæ moles certé magis ponderat, quam quæcumque aëris incumbentis moles.

Obj. 2. nulla alia potest assignari causa talis difficultatis; ergo debet provenire à gravitate aëris.

Resp. neg. ant. & ut clarè explicetur, unde

hæc provenit difficultas advertendum est, quod quæcumque adhibeatur diligentia ad occludenda follium foramina, totumque aërem expellendum, semper in follibus remanet aliquid aëris; ita ut follium tabulæ se tantùm mediatè tangant, hoc est mediante aëre. Ille autem aër ad se semper trahit follium tabulas, nè illa separatione tollatur corporum contiguitas, & ita dicendum quod illa difficultas provenit ex vi necessariæ contiguitatis.

Inst. atqui aër intra folles inclusus non potest follium tabulas attrahere; ergò nulla responsio. prob. subs. aër non attrahit alia corpora, nisi quando est attenuatus, & maximâ violentiâ extensus: atqui aër intra folles inclusus non est attenuatus, & maximâ violentiâ extensus, cum sit ejusdem consistentiæ ac aër externus; ergò aër intra folles inclusus non attrahit follium tabulas.

Resp. neg. subs. ad cujus probationem neg. min. quia ubi aliquis maximos conatus adhibet ad separandas follium tabulas, ipse aër intra folles inclusus mox incipit attenuari, & maximâ violentiâ extendi, & cum majoris non sit capax extensionis, ipse aër parumper attenuatus follium tabulas ad se trahit, ne majorem extensionem patiatur.

ART.



ARTICULUS ULT.

De experientiâ factâ in Cucurbitis medicis.

NOtandum est 1. Quod in cucurbitis medicis *Ventouses*, priùs calefactis, & statim cuti admotis, flamma aërem inclusum multum rarefacit, extinctis candelis aër condensatur, & proindè minùs spatium occupat, itaut spatium ab aëre derelictum, mox caro intumescens adimpleat.

Notandum est 2. Quod ille effectus provenit à gravitate aëris juxta recentiores; itaut, inquit Maignanus 3. parte Philosophiæ naturæ cap. 20. prop. 8. num. 12. vi aëris circumquaque supra cutem gravitantis, adeoque carnem prementis exprimitur atque congeritur è vicinis partibus ad cucurbitulam, tum sanies, tum sanguis quorum facilior est accursus, & simul subtus turgens intumescit caro in cucurbitulam, atque distenditur intrusione eorum humorum.

Dicendum est contra recentiores carnem non intumescere propter gravitatem aëris.

Prob. Experientia quâ recentiores probant carnem intumescere propter gravitatem aëris, nullomodo probat; ergò &c. prob. ant. experientia quam D. Pascal, tract. de gravitate aëris sect. 6. & quam cæteri recentiores afferunt, est ista, si quis (aiunt) supra femur apponat tubum vitreum viginti pedes longum,

& deindè ingrediatur in vas profundum aliquod aquâ plenum, itaut tubus extra aquam promineat, tum constat experientiâ quod caro intumescit intra tubum propter aquæ gravitatem quæ omnes carnis partes premens præter partes tubo correspondentes, congerit humores plurimos qui faciunt ut caro intumescat, ubi minor est pressio. Eodem modo ratiocinandum, inquit D. Pascal, loco jam laudato de carne intra cucurbitulam intumescente propter gravitatem aëris: atqui falsum est quod eodem modo sit ratiocinandum, quia nulla est paritas inter aquam & aërem, ut jam probatum fuit; ergò &c. eodem fere modo, & eodem ferè experimento ascensum aquæ in syphonibus explicant. Sicut enim, ut aiunt, aquæ pondus facit, ut mercurius ad syphonis fastigium ascendat, ita à pari aëris gravitas facit, ut aqua in syphonibus ascendat; sed quam hæc omnia facilè possunt dilui, constat ex dictis, & proindè dicendum quod omnes illæ experientiæ non proveniunt ex gravitate aëris, sed ex sola vi contiguitatis quæ necessario inter omnia corpora, debet semper reperiri.



Finis primæ Partis Physicæ.